



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/dedispensationib0000zeph_y3n8_g4w3

ZITELLI NATALI, ZEPHYRINO.

XXVIII-5

# DE

# DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

IUXTA RECENTISSIMAS

SAC. URBIS CONGREG. RESOLUTIONES

# COMMENTARII

ZEPHYRINI ZITELLI

ANTISTITIS DOMUS PONTIFICIAE

THEOLOG. ATQUE UTR. IURIS DOCT. SAC. CONGR. CHRIST. NOM. PROP. OFFICIALIS

BIBL. TH. P. R.

BIBL. TH. P. R.

ALMA COLLEGE
348.741
LIBRARY
Z 690
Alma, California

ROMAE
EX TYPIS SOC. EDIT. ROM.

1887.

15504

# LEONI . XIII . PONT. OPT. MAX.

QVI . LIBERALIVM . ARTIVM
ALTIORVMQUE . DISCIPLINARVM . STVDIA
PROVEXIT . AMPLIFICAVIT
AVSPEX . ET . CONCILIATOR . PACIS
ORTAS . PRINCIPVM . CONTROVERSIAS
EX . AEQVO . ET . BONO . COMPOSVIT
REI . CHRISTIANAE . INCOLVMITATI
SAPIENTISSIMIS . EPISTOLIS
SANCTISQVE . INSTITVTIS . PROSPEXIT
MVNIFICENTIA . OPERVM . PVBLICORVM
MAGNANIMITATE . PRVDENTIA . PERSPICACITATE
QVAS . IPSA . ORIS . MAIESTAS . PRAEFERT
OMNIVM . IN . SE . ADMIRATIONEM . CONVERTIT
SEDIS . ROMANAE . DECVS . ET . AVCTORITATEM . EREXIT
ZEPHYRINVS . ZITELLIVS
ADLECTVS . INTER . ANTISTITES . DOMVS . PONTIFICIAE
QVINQVAGESIMVM . SACERDOTII . ANNVM
EXACTVM . PRID. KAL. IAN. AN. MDCCCLXXXVII
LIBENS . MERITO . GRATVLATVR
VTQVE . MNEMOSYNON . FAVSTISSIMI . HVIVS . DIEI
COMMENTARIVM . DE . DISPENSATIONIBVS . MATRIMONIALIBVS
AB . INTEGRO . RETRACTATVM . EXHIBET

BIBL. TH.
P. R.

# PROŒMIUM

Scripseram ante aliquot annos de dispensationibus matrimonialibus opus, quanta potui diligentia. At cum nihil simul inchoatum et perfectum sit, nec posteriora solum consilia sed etiam opera soleant esse meliora, labente tempore deprehendi nonnulla ibidem deesse, quibus destituta lucubratio illa vigenti disciplinae non omnino responderet. Sane variae immutationes tum a sacra Poenitentiaria, tum a Suprema Universali Inquisitione inductae sunt in clausulas dispensationum, quarum nonnullis abrogatis aliae substitutae sunt; novi praestituti canones quoad exsecutores dispensationum novaque in aliquot sacrae disciplinae capitibus sancita praxis. Sensi etiam in mea illa lucubratione desiderari, quae ad dispensationem a votis referuntur, quaeque limites definiunt quibus continetur Episcoporum potestas solvendi vota, quae in religiosis Congregationibus nuncupantur. Desiderari etiam normam quae in causis matrimonialibus pertractandis est observanda, ut constet de processuum validitate, aliaque tum ad theoriam tum ad praxim perutilia. Tandem alia mihi

documenta exinde ad manus pervenerunt, neque numero pauca, neque pondere levia, quae in lucem edere maxime opportunum videbatur, inter quae disputatio quaedam inedita Apostolicae Sedi exhibita a Missionariis e Soc. Iesu in Insulis Philippinis anno 1589 atque a Professoribus Collegii Romani Augustino Iustiniani, Iacobo Ruitz, Ioanne Baptista Perusco, Benedicto Iustiniani, Roberto Bellarmino, Ioanne Azorio, Stephano Tucio, Alfonso Sanchez, aliisque insignibus auctoribus subscripta, qua Romano Pontifici potestas adseritur matrimonia consummata infidelium solvendi, quaque proinde insignis haec infulae Pontificiae veluti gemma, ex umbra in lucem clariorem profertur.

Haec enimvero tantum mihi vel dignitatis singula, vel emolumenti cuncta habere visa sunt, ut ab integro tractandi ac prope reficiendi operis consilium inirem. Etsi vero hic labor nonnihil animum ab incepto deterrebat meum, peropportuna tamen erexit me confirmavitque occasio, qua nimirum orbis universus quinquagesimum sacerdotii annum Leoni XIII Pontifici Optimo Maximo mira concordia flagrantissimoque studio certatim gratulatur. In tanta enim omnium laetitia nihil magis optabam, quam honoris quem in me, libens contulerat, dum inter Antistites Domus Pontif. me adlegit, gratam recordationem posteris testatam relinquere, quique gratiam referre nullam possem, voluntatis tamen et memoris animi testimonium aliquod tanto Pontifici exhibere.

Quamvis autem vererer ne audaciae notam merito incurrerem in hoc conando quod molior, attamen lucubrationem hanc meam quantulamcumque non iniucundam Summo Pontifici exstituram pro certo habebam. Compertum quippe mihi erat quot et quanta politiores litterae altioresque disciplinae sapientissimo Pontifici debeant in-

crementa, quas inde ab initio suscepti Pontificatus complecti ac fovere nunquam intermisit. Unde merito inferebam, commentarium hunc meum ab eius animo non alienum imo eidem acceptum fore, cui nempe gratum accidit quidquid ad supellectilem doctrinarum sive augendam sive illustrandam vel paullulum conducat.

# PROLEGOMENA

## De vi ac sensu Legum ecclesiasticarum.

### CAPUT I.

#### De regulis generalibus quibus de sensu ac vi legum ecclesiasticarum recte iudicetur.

In lucubratione de dispensationibus matrimonialibus retexenda, praetermitti potuissent quae alias de interpretatione legum ecclesiasticarum scripsimus quaeque cum sint prima veluti principia, quibus theoria et praxis dispensationum innititur, mutationi obnoxia non sunt. Ne tamen lector alio recurrere cogatur, dum novum hoc Commentarium evolvit, operae pretium esse duximus eam partem nomine *Prolegomenon* huc afferre atque ex integro recudere.

Porro ut de sensu ac vi legum ecclesiasticarum recte disseratur, opus est animadvertere, alia legibus omnibus in genere communia esse, alia vero quarundam propria; quocirca praestiterit ante de communibus, deinde de aliis dicere et ita quidem ut primo de vi, secundo de vero earumdem sensu agamus.

### ARTICULUS I.

#### DE REGULIS COMMUNIBUS AD RECTE IUDICANDUM DE VI LEGUM ECCLESIASTICARUM.

1. Ut de vera cuiuspiam legis vi iudicium adaequatum fiat, duo sunt quaerenda, 1) an sua ei vis constet; 2) quanta haec sit aestimanda, id est, qui et quotnam iudicari debeant eius legitimi effectus. Iamvero ad primum quod attinet, facile quisque intelligit, duplici ex ratione pendere vim legum, vel ex earum natura, vel ex voluntate ipsius legislatoris, sive ille sit qui illas tulit, sive eius successor, sive alius auctoritate superior.

Naturam ecclesiasticarum legum seu necessarias earumdem conditiones supponimus ex iure publico ecclesiastico notas, nunc vero cum non de Ecclesiae potestate, sed de eiusdem voluntate

agamus, qua potestatem divinitus sibi datam in actus exserit, ex altero hoc capite ecclesiasticarum legum vis est expendenda, ita ut proposita lege, quae ratione sui valida esset, iudicare possimus utrum forte ex voluntate legislatoris sive vera, id est, aut expresse aut tacite manifestata, sive praesumpta, sua eidem vis detracta fuerit. Ad veram legislatoris voluntatem pertinet *abrogatio* et *dispensatio*, ad praesumptam *epikeia*.

2. Abrogatio late sumpta complectitur tum abrogationem proprie dictam qua omnino, tum derogationem qua ex parte lex antiquatur, tum denique irritationem, quae dicitur de lege inferioris magistratus a Superiore deleta. Abrogationi autem finitima est cessatio legis, cum nempe fine eiusdem intrinseco atque adaequato cessante, lex ipsa per se corruit.

Modus abrogationis duplex esse potest, *expressus* cum expresse, *tacitus* cum tacite legislator legem abrogat, vel scilicet aliam legem ferendo, quae cum prima nequeat consistere, vel contrariam consuetudinem admittendo. Praetermissa hic cessatione legis, quippe quae ex natura ipsa legis, non autem ex legislatoris voluntate oritur, et praetermissa latione alterius legis quae cum prima cohaerere nequeat, pauca de consuetudine adnotabimus ac subinde regulas generales, quibus de abrogatione legum recte iudicetur, breviter exponemus.

3. Legitima consuetudo quae in Can. V. Dist. I. definitur *Ius moribus institutum quod pro lege suscipitur*, enucleatius definiri potest « Ius populi moribus institutum atque eius a quo constitui potuit ratificatione tacita comprobatum ». Ex qua definitione duo haec manifesta sunt: 1) consuetudinis ius oriri ex fonte illegitimo, nimirum ex voluntate populi, cuius in Ecclesia nulla plane auctoritas est: 2) vim suam adipisci ac legitimam fieri ex ratificatione eorum qui illud constituendi auctoritatem in Ecclesia iustam habent. Quapropter ut consuetudo vim legis habere possit, de illorum ratificatione constet necesse est, qui tum potuerint, tum praeterea voluerint eamdem comprobare. Iam ex prima conditione sequitur, consuetudinem oportere esse rationabilem, id est ut iuri divino sive naturali, sive supernaturali ac positivo nullo pacto adversetur; nemo enim est, qui possit iuri divino derogare. Consequitur praeterea ius humanum a consuetudine posse non modo adiuvari et extendi, verum etiam corrigi et abrogari, quandoquidem est in Ecclesia potestas non modo leges novas ferendi, verum etiam eas, quae latae sunt, declarandi et

abrogandi. Unde triplex recte distinguitur consuetudo, alia nempe *secundum ius*, quae legem vel revocat in usum vel interpretatur, alia *praeter ius*, quae habetur ubi lex deficit, alia demum *contra ius*, quae ipsam abrogat legem. Denique sequitur, consuetudinem quae ius commune abroget aut ius a superiore magistratu constitutum, non posse inferioris magistratus ratificatione firmari, sed oportere notam esse ei qui praedictis iuribus abrogandis parem auctoritatem habet, ut tacita eius ratificatione legitima fiat.

Ex altera vero conditione sequitur, consuetudinem vim legis habere non posse, nisi legis instar a populo, qui eam induxerit, ante oculos Legislatoris sit proposita. Cum enim tota praesumptio voluntatis legislatoris ad consuetudinem approbandam ab inspectione ac notitia facti oriatur, non potest ipsa ultra factum ipsum extendi, proindeque quod non est legis modo propositum, id non potest dici legis modo approbatum. Consequitur insuper silentium legislatoris eiusmodi circumstantiis distinctum ac insignitum esse oportere, ut veram approbandae consuetudinis voluntatem praeseferat.

4. Iam indicia quae iuridicam praesumptionem inducunt legis instar fuisse a populo consuetudinem susceptam, haec habentur, si actibus neque raris neque difformibus, multoque minus contrariis, sed frequentibus atque uniformibus eam tenuerit; si longo tempore (tale autem quando censendum sit infra dicemus) eamdem servaverit. Quod si dubium sit utrum consuetudine, quae novum onus inducat, voluerit populus tamquam nova lege sese obligare, contra consuetudinem iudicandum esse patet, nemo enim in dubio censetur voluisse libertatem suam restringere.

Quando autem ex ipso legislatoris silentio arguenda sit eius voluntas consuetudinem approbandi, unum tradi solum indicium potest, nimirum si longo tempore consuetudo servata fuerit, tacente Principe. Longum autem tempus communiter a Doctoribus existimatur decennium, quo quidem elapso quin Princeps consuetudinem reprobaverit, consuetudinis ipsius et notitia et approbatio in eodem praesumitur (1).

---

(1) Quoad tempus non conveniunt inter se Iurisperiti. Plerique dicunt decennium sufficere, alii tempus 30 annorum exigunt si agatur de consuetudine contra Legem. Verum hac in re iudicandum est non tam a temporis diuturnitate, quam a ceteris circumstantiis morali aestimatione spectatis, habita praesertim ratione sensus communis, utrum nempe maior et sanior pars communitatis legem ut abrogatam habeat, et considerata actuum multitudine

Consuetudo immemorialis aequivalet privilegio, haberique potest loco tituli legitime constituti et probati. Excipiuntur tamen duo casus scilicet: 1) quando allegans pro se consuetudinem immemorialem est incapax possidendi, et 2) quando consuetudo a lege reprobatur tamquam abusus et corruptela. Quamvis autem tempus immemoriale habilitare non possit incapacem, fundare tamen potest praesumptionem privilegii olim concessi, praesertim si concurrat fama de concesso privilegio pontificio.

5. Superest ut aliqua de consuetudinis cessatione adnotemus. Duplici potissimum ratione cessat consuetudo, vel per consuetudinem contrariam, vel per legem. Circa primam, canon generalis est, universalem consuetudinem abrogari per aliam universalem, particularem per aliam particularem; per consuetudinem vero particularem non abrogari universalem.

Circa abrogationem consuetudinis per legem novam contrariam, sufficiat animadvertisse, illam non abrogari, nisi lex ei clare ac directe sit contraria. Hinc lege universali abrogatur consuetudo aeque universalis, quae legislatori censetur cognita. Lege tamen universali non censetur abrogari consuetudo particularis alicuius loci, nisi legislator de hac mentionem faciat, vel saltem nisi legi adiecta sit clausula generalis derogatoria cuiuscumque contrariae consuetudinis.

6. His de consuetudine delibatis, ad regulas generales de abrogatione legum, uti par est, gradum faciamus.

Regula princeps et capitalis est, abrogationem per se, idest seclusis peculiaribus circumstantiis, numerari inter res odiosas, adeoque quoad fieri potest iura iuribus concordanda esse et legum correctiones esse vitandas. Cap. 29 *De Elect. in VI.* Unde sequitur:

*a)* Legem generalem, licet ipsa posterior sit, non abrogare leges priores speciales, sed eas ceu totidem exceptiones habendas esse, nisi expresse in ipsa generali lege abrogatae fuerint. Cap. 1 *De Const. in VI.*

*b)* Correctionem legis, ulterius quam verba exprimant, non oportere extendi, licet id probabilibus, non tamen necessariis argumentis suaderi videatur. Cap. 28 *de Reg. Iuris in VI.*

*c)* Ad correctionem legis vitandam, recedendum etiam esse, dummodo citra absurdum fieri possit, a proprietate verborum communique eorum significatione. *Argumento dicti* Cap. 29 *de Elect. in VI.*

Notandum tamen est legem quae ad pristinum ius correctoriam legem reducit, non esse odiosam, proindeque latiorem admittere interpretationem.

7. Ad dispensationem quod attinet, eo nomine intelligitur « Relaxatio obligationis legis respectu certae personae, vel temporis, ab eo facta, qui in ipsam legem potestatem habet. » Unde hae capitales regulae de dispensatione habentur.

I. Licet dispensandi facultas, nisi alteri sit praeiudicialis, haberi debeat tamquam *favorabilis* utpote beneficium continens, nihilominus ipse actus dispensationis, quippe qui legi derogat, *odiosus* censetur. Cap. 1, § finali, *de filiis presbyt. in VI.*

II. Neque inferior in lege superioris dispensare potest, neque proinde quispiam in iure divino, licet Romano Pontifici vera sit potestas legem divinam cum auctoritate interpretandi ac declarandi iis in casibus, in quibus de illa dubitatur, utrum urgeat nec ne. Inferior autem, potestate expresse vel tacite a iure vel ab ipso Superiore sibi delata, a Superioris lege recte dispensat. Ex quibus regulis haec sequuntur corollaria.

*a)* Ex prima sequitur ad iudicandum de vi dispensationis, similes adhibendas esse regulas ac in iudicando de vi abrogationis.

*b)* Ex altera infertur, Episcopos a Constitutionibus Apostolicis vel a Conciliorum Generalium decretis, regulariter dispensare non posse. Posse tamen 1) si a iure ipso facultas dispensandi Episcopo expresse concedatur, aut nulla neque Episcopi neque alterius cuiuspiam facta mentione, simpliciter *dispensari posse* statuatur: 2) in casibus magnae necessitatis vel evidentis utilitatis, ubi periculum sit in mora: 3) vi consuetudinis rite constitutae.

De dispensationibus vero in impedimentis matrimonialibus quae frequentiores sunt, agemus in Parte II.

8. Ad Epikeiam quod spectat, ea dicitur: « Interpretatio non ipsius legis, sed mentis legislatoris, qua raris quibusdam in casibus, in quibus ob peculiares circumstantias lex ab aequitate non mediocriter discedit, eumdem noluisse legem suam obligandi vim in iis retinere existimamus. » E qua definitione ipsius etiam usus intelligitur. Animadvertendum tamen est, communem esse Doctorum sententiam, in legem *irritantem*, quae scilicet actum aliquem vel simpliciter, vel praeter constitutam formam elicitum, dicit irritum, *epikeiam* non cadere. Exemplo sit matrimonium

clandestinum, quod in iis regionibus in quibus decretum *Tametsi* Concilii Tridentini promulgatum est, nullo pacto validum haberi potest, etiamsi gravi quadam ex causa fuisset sine praesentia Parochi contractum.

9. Utrum autem ad epikeiam referri possit etiam ignorantia legis, ita ut vis legis cessare existimetur quoad eos qui illam ignorant, ea de re extat Cap. 13 *De reg. Iuris in VI* quod ita se habet: *Ignorantia facti non iuris excusat.* Quod nihilominus ita intelligi debet, ut ignorantia legis etiam humanae nullo modo excuset neque ad lucrum captandum, neque ad poenas vindicativas effugiendas, quia constitutiones principum ignorare aut dissimulare nemini permittitur. *L. XII Cod. De Iuris et facti ignor.* Hic autem textus licet ad ius civile pertineat, nihilominus etiam a iure canonico est approbatus. *Arg. Cap. 3 De cland. desponsat. c. Si quis vero.* Excusat tamen 1) quoad poenas medicinales seu censuras, quandoquidem ut eiusmodi poenae incurrantur contumacia et virtualis contemptus requiritur; 2) quoad poenas etiam vindicativas quae expresse constitutae sunt contra eos, qui *scienter* aut *temere* aut *praesumptuose* legem violaverint, quo in casu etiam vincibilis ignorantia, non tamen crassa aut affectata excusat; itemque quoad poenas vindicativas extraordinarias relate ad eos, in quibus probabilis ignorantiae causa admitti potest, quemadmodum accidit si sint peregrini, praesertim si impositae fuerint actionibus iure ipso naturali aut divino non prohibitis; 3) quoad iacturam rerum suarum faciendam.

Quod autem pertinet ad ignorantiam facti, licet de illa agere huius loci non sit, nihilominus inutile haud erit heic obiter animadvertisse, eam 1) excusare dummodo agatur de facto alieno, nam facti proprii ignorantia non admittitur, C. 41 *de Rescriptis*, nisi forte agatur de re valde antiqua et quidem ad malum vitandum; 2) etiam praesumi si scientia ab adversario non probetur, C. 47 *de Reg. Iuris in VI*, nisi agatur de factis publicis ac notoriis, aut de iis, quae cognosci ex officio deberent, *Cap. 10 de reg. iuris.*

10. Ex his quae diximus, quandonam legi per se validae sua stet adhuc vis, plane intelligitur. Nunc de huius vis extensione, quatenus scilicet ad suos effectus porrigitur, breviter dicendum est. Atque illum quidem effectum plane communissimum, qui vim legis immediate sequitur, hoc est, ut in iis qui legi subiecti sunt pariat obligationem tum quoad culpam, tum quoad poenam,

simulque si ex violatione legis praeiudicium tertio inferatur, huic ius conferat agendi contra violatorem, praetermittimus, atque eos tantum effectus breviter exponemus, qui sunt singularum Legum proprii dimanantque ex *Clausulis* cuique legi ab ipso legislatore appositis, unde fit ut aliae aliis ampliorem vim atque efficientiam habeant.

11. Clausula porro, quae idcirco sic appellatur quod in fine legum sit, est quaedam sive legis sive contractus appendix, qua aliquid circa eius modum aut firmitatem, aut extensionem statuitur. Ex his quae ad leges et quidem canonicas spectant, pauca quaedam delibabimus, quae ignorare non licet.

De clausulis in genere hae quae sequuntur regulae tenendae sunt.

I. Inutilem censere clausulam nullam licet, quia est axioma communiter receptum, nihil inutile in legibus haberi. Hinc patet non recte eos opinari, qui idcirco clausulam aliquam spernunt, quia scripta est de stylo Curiae, inde enim contrarium potius consequitur, eo nempe magis eam esse servandam, imo vero appositam, etiamsi omissa fuerit, eamdem esse censendam: vicissim autem clausulam insolitam suspectam esse de fraude, et si plures huiusmodi clausulae in documento aliquo appareant, de simulatione coniecturam eas parere totumque documentum suspectum facere.

II. Quae regulae valent ad veram vim veramque interpretationem legum determinandam, eaedem etiam pro clausulis valent, siquidem clausulae sunt verae leges praecedenti legi adiectae.

III. Utrum clausulae totam legem complectantur aut aliquem tantum eiusdem articulum, licet in genere statui soleat clausulas in principio vel in fine positas totam legem complecti, positas autem in medio complecti praecedentia, sequentia autem eatenus, quatenus positae sint inter plures articulos connexos et dependentes ab uno principali, verius tamen est id esse decernendum ex ipsa inspectione legis iuxta regulas generales de legum vi ac sensu recte statuendo.

12. In specie autem illae tantum, quae passim in Romanorum Pontificum Constitutionibus reperiuntur, memoratu dignae sunt.

I.

De plenitudine potestatis. Ad huiusmodi clausulam rectius quam alii notat Card. Petra in Comm. in *Constit. Apost. T. IV p. 481, n. 5*, per eam indicari Summum Pontificem in iure ordinario non insistere, atque idcirco per eam clausulam imminui vim regulae generalis quae statuit iura iuribus concordanda esse; quare lex cui ipsa apposita sit, contrarias facilius abrogat. In Rescriptis autem ad defectus, qui plane substantiales non sint, sanandos plurimum confert, praesertim si huic alteri clausulae « ex certa scientia » ut solet, coniuncta reperiatur.

II.

Non obstantibus etc. Non secus ac ea de qua mox loquuti sumus, ita derogat contrariis legibus, ut imminuat vim regulae generalis, quae iura conciliari iubet, praesertim si iuncta sit alteri clausulae « Motu proprio. »

III.

Decretum irritans cuius formula propria haec est: « Decernentes irritum et inane si secus a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. » Formulae minus solemnes sunt: « Aliter non valeant et non observentur » etc. vel « nullius sit momenti » etc. vel « alioquin » etc. vel « nullo modo » vel aliae similes locutiones. — Vim huius Clausulae hanc esse volunt, ut non modo ceteros actus, verum etiam consuetudines futuras legi contrarias irritet (Benedictus xiv, *Inst. 60);* idemque plusquam semel asseritur in foliis S. Congr. Concilii, non quidem in ipsis Cardinalium responsis, sed in expositione Causae quae fit a Secretario. Probabilius tamen est, consuetudines futuras ex praevio decreto irritante fieri potius difficiliores, tum quia tale decretum excitat pastorum vigilantiam ne eas induci sinant, tum quia odiosas eas facit: absolute autem eas non impedit, quia ipsum decretum irritans est lex humana, ideoque consuetudine et ipsum potest abrogari. Qua de re luculentissimum exstat responsum S. Cong. Concilii *in Albanen. Mediae annatae 18 Sept. 1824, 3 Sept. 1825*, ubi Capitulum Albanense,

contra Const. Benedicti xiii, *Pius et Misericors* decreto irritante firmatam, ob unicam contrariae consuetudinis rationem, a solutione mediae annatae exemptum est, licet vis decreti irritantis contra obiiceretur.

## IV.

Sublata cuilibet aliter iudicandi atque interpretandi facultate. De hac clausula haec sunt animadvertenda. 1) Vis huius Clausulae, ut ex ipsius verbis patet, eo spectat, ut integritati firmitatique legis consulatur, ne ea interpretationis nomine aliqua ratione in iudiciis minuatur. Cum autem eiusmodi clausulae etiam decretum irritans adiungi soleat, imo illud in se continere censeatur, hinc alius etiam effectus eidem tribuitur, ut futuras quoque consuetudines impediat, quod tamen quatenus dici possit modo exposuimus. In rescriptis autem si coniuncta sit, ut saepe solet, cum clausula *quod de obreptione*, id est quod non possit contra gratiam dici seu disputari de subreptionis aut obreptionis vitio, aut intentionis defectu, impedit inquisitionem de veritate eorum quae narrata sunt. 2) Exceptio seu limitatio huius regulae generatim haec est, ut Iudices ea clausula non impediantur inquirere utrum casus de quo agitur contineatur in lege nec ne, quod quidem, ne tota vis infringatur clausulae de illis casibus intelligendum esse existimamus de quibus clare patet. Nominatim autem quoad Rescripta vi sua cadit 1) in genere, si eidem ab eo pro quo rescriptum latum sit fuerit renunciatum sive expresse, sive etiam tacite, eam scilicet non opponendo, quandoquidem in rescriptis favore eius cui rescriptum datum est, ea etiam clausula scripta esse censetur, 2) quoad casus obreptionis vel subreptionis, si obreptio ipsa vel subreptio iam palam prodierit. Remedium, si necessitas occurrat contra hanc clausulam de lege disceptandi, est *Aperitio oris*, id est facultas a Summo Pontifice ea de re impetrata.

Haec, utpote frequentissima, memoranda esse censuimus. Si quae vero rariores clausulae occurrant ac de illis controversia instituatur, consuli possunt Barbosa et Marta in eorum tractatibus de clausulis.

## ARTICULUS II.

### DE VERO ECCLESIASTICARUM LEGUM SENSU DEPREHENDENDO SEU DE RECTA EARUM INTERPRETATIONE.

13. Interpretatio in hac materia est genuina Legis explicatio, iuxta eam significationem quam legislator intelligit. Triplex vero ea est, scilicet *Authentica*, *Usualis*, *Doctrinalis*. Authentica illa est quae fit ab ipso legislatore, sive ille sit qui legem tulit, sive successor, sive superior, quae quidem ubi prodiit etiam in rescripto ad privatam aliquam personam, singulos ad quorum doctrinam pervenerit obligat, quandoquidem solemni promulgatione non indiget, cum non sit nova lex, sed veteris legis adiumentum. Secus autem dicendum est, si interpretatio a legislatore facta corrigat aliqua ex parte legem aut restringat, aut extendat, eusmodi enim interpretatio recte aequiparatur novae legi et durum esset si ea sine promulgatione proprie dicta obligaret. Usualis ea dicitur quae a consuetudine legem interpretante dimanat eaque cum ab ipso iure procedat (CAP. *Cum dilectus, de Consuet.)* interpretationi authenticae parem habet auctoritatem. Doctrinalis denique ea dicitur, quae fit a Iudicibus et Iurisconsultis ad controversias de legum sensu dirimendas, quod quidem ut recte fiat 1) regulae ad verum legum sensum deprehendendum tradendae sunt; 2) rectus earumdem regularum usus est definiendus.

#### § I. — *De regulis ad legum sensum rite deprehendendum.*

14. Regulae interpretationis legum aliae generales sunt, aliae particulares; particularium vero aliae sunt quae docent quando et quatenus legum sensus accipi latius debeat, eaeque *extensivae* appellantur, aliae contra admonent, quando et quatenus accipiendus sit pressius, eaeque *restrictivae* dicuntur. De singulis ordine dicemus.

Generales regulae hae sunt.

I. Incivile est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere. *L. 24 Incivile. ff. de Legibus*, cui consonat CAP. 21 *de appellat.* Brevi ex toto eius contextu eiusdem vis et potestas eruenda est.

II. Verba accipienda sunt secundum propriam significationem. Cum autem proprietas verborum multiplex esse possit, quandoquidem eiusdem verbi proprietas alia potest esse naturalis, quae ex communi usu loquendi dimanat, alia iuridica, quae ex proprio iuris usu iuxta significationem quae in aliis legibus ei data est eruitur, ipsa autem naturalis non una aliquando sit, neque enim desunt verba quibus communis usus multiplicem sensum attribuit, in hac sensuum varietate duae regulae ad dubia dirimenda praesto sunt: 1ª) ceteris paribus, proprietas iuridica, si plane ordinaria in iure sit, naturali praevalcat necesse est, neque enim censeri potest aliter legislatores loquutos fuisse, quam semper solent, unde in qualibet scientia voces technicae in eo sensu regulariter accipiuntur, qui scientiae ipsius proprius est; 2ª) regula eaque potior est, ut prae oculis regulae habeantur, quas de ipsarum regularum usu ad interpretationem rite faciendam deinde exponemus.

III. Mens Legislatoris ratioque legis tenenda et servanda est. Mens enim Legislatoris seu eius voluntas constituit formalem causam legis. Ut autem haec regula plenius intelligatur haec sunt animadvertenda. *a)* Mens Legislatoris a legis ratione, si forte expressa sit, deprehenditur; secus a natura subiectae materiae, a circumstantiis, atque ab historia temporum, denique a communibus rationis principiis erui potest. *b)* Si haec de mente Legislatoris regula cum duabus prioribus non bene concordet, eatenus tenenda est, quatenus Legislatoris mens certo evincatur, quemadmodum recte monet Iurisconsultus in lege *Non aliter ff. de Legatis III* « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem. » Ratio est quia contextus et proprietas verborum argumentum proprie dictum faciunt, mens autem Legislatoris quae certa non sit, sed ex coniecturis eruatur, coniecturae vim ac limites non potest excedere.

IV. A casu contrario ad contrariam dispositionem, si tamen contrarietas ex his quae substantialia sunt atque praecipue moventia desumatur, recte argumentamur *Can. Qualis Dist. 25*, *Can. 5. de Praesumptionibus.* Quo pertinet etiam illud axioma « Exceptio firmat regulam in contrarium. »

15. Extensivae regulae hae tradi solent.

I. Verba generalia ad omnes species in eo genere comprehensas, nisi aliud obstet, per se extenduntur Cap. 22 *de Priv.*

Unde iuris axioma « ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus. » Diximus nisi aliud obstet, si enim alicuius speciei ita diversa conditio sit, ut rationis diversitatem plane inducat, multoque magis si alia lege, etiam anteriore, quae in generali lege non sit specialiter abrogata, contrarium de aliqua specie statuatur, manifestum est, praedictam regulam vim non habere Cap. *ult. de Off. Vicarii in VI.* Cap. 34 *de Reg. Iuris in VI.*

II. Ubi eadem ratio extat, ibi eadem est iuris dispositio. Regula haec quemadmodum et ea quae tertio loco afferetur, ex necessitate oritur et ex humanae conditionis infirmitate. Cum enim infinitus sit casuum numerus, non possunt omnes legibus comprehendi, adeoque ut expeditius iudicia fiant, merito regula constituta est, ut cum in aliquo casu sententia illarum manifesta est, is qui iurisdictione praeest ad similia procedere atque ita ius dicere debeat. Cui doctrinae consonat Ius Canonicum in Cap. 2 *de transl. Episc.* Vis autem eiusmodi regulae illustratur clariusque definitur regula sequenti ad quam facile refertur.

III. De similibus idem esto iudicium. Ratio eadem est quam modo diximus; unde axioma iuridicum « Casu expresso (a lege), similis non censetur omissus. » Nihilominus ut eiusmodi regula vim habeat duo haec concurrant necesse est 1) ut similitudo in ea re sit de qua agitur; 2) ut verae disparitatis ratio assignari nulla possit. Ceterum in his praecipue casibus vim suam eiusmodi regula exserit, scilicet cum Lex per modum exempli lata est, tunc enim extensionem ad similia fieri debere, expressa ipsius legis voluntate manifestum est. Praeterea in iis quae in Iure aequiparantur. Si tamen aequiparatio sit vel universalis, vel in ea re de qua agitur. Ad haec in correlativis, cuiusmodi sunt ex. gr. vir et uxor. Correlativa enim paria inter se censentur, adeoque ad servandam aequalitatem ac iustitiam, iisdem regulis uti debent; quo fit ut uno expresso, aut sublato, alterum quoque expressum aut sublatum censeatur; his tamen exceptionibus factis; 1) si rationis disparitas assignari possit; 2) in contractibus si de iis agatur, qui non ex natura contractus, sed ex pacto convento constituta sunt. Insuper in connexis quae scilicet inter se ita colligata sunt, ut separari nequeant. Denique in contentis, id est ut interpretationis extensio ab iis quae continent, ad ea fiat quae continentur, addenda tamen hic est limitatio superius tradita in Regula I.

16. Restrictivae regulae hae sunt:

I. Ubi dispar est ratio, ibi dispar est legis dispositio. Censeri tamen non debet qualibet disparitate, legis vim impediri, sed ea dumtaxat, qua non attenta, res vergit in absurdum.

II. Cessante aliquo in casu ratione adaequata legis, lex ipsa in eo cesset necesse est.

## § II. — *De recto praedictarum regularum usu.*

17. Legitimae interpretationis regulis enumeratis, ad rectum earum usum quod pertinet, id est potissimum animadvertendum, ut ratio habeatur subiectae materiae cui sunt applicandae. Qua propter sedulo inspiciendum est, utrum de re agatur ut aiunt *favorabili*, an de *odiosa*, an de *indifferenti*. Favorabilis generatim est, quae favorem et beneficium continet, odiosa quae obligationem, incommodum, poenam; cetera indifferentia. Nominatim vero favorabilia maxime exsistunt, quae constituta vel lata sunt ad piam causam, id est vel in favorem Ecclesiae, vel ad aliquod misericordiae opus explendum etc. Odiosa vicissim censentur, licet per se favorem contineant, quae pertinent ad collationem beneficiorum ecclesiasticorum, ut nimirum fraenum ambitioni iniiciatur Cap. *Quamvis de Praeb. in VI;* tum quae a iure communi exorbitant, proindeque privilegia Cap. 28 *de Reg. Iuris in VI;* tum maxime quae iuri tertii iam quaesito detrimentum inferunt, quod sane a voluntate principis maxime abhorrere, quoad fieri potest, semper censendum est. Argum. *Reg. Cancel. 18 de iure quaesito non tollendo.*

18. Cum tamen non raro fiat, ut iure dubitetur utrum lex aliqua inter favorabiles, an inter odiosas recensenda sit, quippe quae alteri obsit, alteri faveat, hinc ad eiusmodi dubium dirimendum hae adhibendae sunt regulae.

I. Si pars odiosa a favorabili secerni possit, lex pro vario respectu et favorabilis et odiosa est habenda.

II. Si odium a favore nequeat separari, praecipuus finis legis spectandus est, ita ut lex censeatur favorabilis, si id quod favorabile est praecipue sibi proponat, secus odiosa.

III. Si de praecipuo legis fine dubium sit, favor praevalere odio debet.

19. His praemissis, praesto est norma princeps, quae usum regularum de interpretatione rite facienda moderatur; in ma-

teria favorabili, nisi res perspicua sit, aut vergat in absurdum, regulis extensivis maxime est utendum, minimum autem quoad fieri potest, restrictivis; secus agendum est in materia odiosa. In materia autem indifferenti res aequa lance libranda. Unde hae regulae magis particulares dimanant.

*a)* In contractibus plena, id est iusta et quantum hermeneuticae regulae simpliciter ferunt, interpretatio facienda est; in testamentis plenior; in beneficiis seu gratiis plenissima.

*b)* In poenis benignior est interpretatio facienda.

*c)* In obscuris minimum (seu minus grave) sequendum est.

*d)* Quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium detorquendum; vicissim vero, quod statutum fuit ad poenam, trahi non debet ad gratiam.

*e)* Fraus et dolus patrocinari nemini debet, nil enim magis odiosum quam fraus et dolus.

## CAPUT II.

### De regulis aliquarum legum propriis.

Brevitatis studio ea solum exponemus hoc loco, quae ex dictis hactenus inferri minus facile possunt. Agemus igitur 1) de legibus particularibus, hoc est Provinciarum, aut Dioecesium, aut singulorum locorum propriis, 2) de Rescriptis, 3) de Privilegiis.

### ARTICULUS I.

#### DE LEGIBUS PARTICULARIBUS.

20. Legum particularium cum hoc potissimum proprium sit, ut tantum pro certa societatis parte, ex. gr. pro certa provincia, latae sint, idcirco regulae earum propriae in eo maxime versantur, ut certo definiatur, quinam ii sint, qui obligationem, vel si de permissivis legibus agitur, ius eisdem utendi habeant. Iamvero tres hac de re capitales regulae habentur.

I. Nemo lege obligatur nisi qui aut omnino, aut in ea re de qua agitur subditus sit, alioquin deficit obligationis fundamentum.

II. Etiam qui subditus est, extra territorium non obligatur, nisi forte fictione iuris in territorio esse existimetur.

III. Etsi leges per se atque ordinarie non ferantur in personas absolute, sed dependenter a territorio, personales nihilominus, si quae sunt, personae adhaerent CAP. 7 *de Reg. Iuris in VI.*

21. Quae quidem regulae ut recte intelligantur, paucis declarandae sunt. Iam ad I^am^ quod pertinet notandum est, omnino et absolute subditum fieri unumquemque non modo per *domicilium verum*, quod acquiritur habitatione alicubi constituta cum animo ibidem perpetuo manendi, nisi improvisa aliqua causa alio avocet, verum etiam ex communissima sententia per *quasi domicilium*, quod acquiritur habitatione alicubi constituta cum animo ibidem permanendi saltem per notabilem anni partem.

Quoad eos quos ex parte tantum subditos esse diximus haec tenenda sunt *a)* eiusmodi eos intelligi, qui precario quidem sunt et per accidens in alieno territorio, ita ut nec *quasi domicilium* ibi acquisierint, sed aliquibus eiusdem territorii legibus obligantur ob expressam iuris, sive communis, sive etiam illius loci, dispositionem, siquidem territorii sui unaquaeque societas domina est adeoque potest conditiones indicere, quae rationi iurique gentium non repugnent, ut quis in eius territorium ingrediatur. *b)* Eosdem ingressu ipso subditos ea ratione fieri, nemini enim fas est in aliena ingredi contra conditiones a Domino appositas, adeoque ingressu ipso eaedem ab extraneis acceptantur. *c)* Leges alieni territorii quae extraneos, Iuris communis dispositione, ab ipso ingressu obligant, eas esse quae ad contractus vel ad delicta pertinent, quae vero leges de rebus latae sunt intra territorium positis, eas extraneos obligare, sive territorium ingrediantur sive non.

22. Ad alteram vero regulam quod pertinet, sciendum est, eos fictione iuris in territorio esse seu existimari, licet absentes sint, ad hunc effectum ut lege aliqua teneantur, de quibus id in iure communi expresse cautum est. Eiusmodi porro sunt qui 1) declinandae Tridentinae legis causa ad ea loca pergunt in quibus ea lex promulgata non fuit, ut sine parocho ac testibus nubant ac deinceps revertantur. URBANUS VIII *Const.* Exponi nobis *die 14. Aug. 1627.* BENEDICTUS XIV *Const.* Paucis *die 19 Mart. 1758.* 2) qui ad effugiendam reservationis legem alienam dioecesim studiose ingrediuntur, ut absolutionem a casibus in sua dioecesi reservatis obtineant. CLEMENS X *Const.* Superna *die 22 Maii 1770.*

Utrum autem in genere quicumque in fraudem legis alio digreditur, eadem lege teneatur, affirmant aliqui ex regula generali quod fraus et dolus nemini patrocinari debet et ex analogia ex duobus praedictis casibus deducta. Sed negant plures alii, quod heic non agatur de vera fraude seu de dolo malo, cum unicuique ius sit se a legis onere modo alioquin licito liberandi; licitum autem cuique sit alio cum libuerit migrare, proindeque aiunt, perperam dolo malo eum notari, quem iure suo usum esse constat, praesertim cum expressa sit in iure regula « nullus videtur dolo facere qui suo iure utitur. » Neque vero analogiae locus heic est ex praedictis duobus casibus, potuit quippe Sacramentorum dignitatis et publici ordinis et animarum salutis interesse, ut in praedictis duobus casibus lex ecclesiastica severius retineretur. At iuris regulae vetant de casu ad casum extendere quidquid obligationem infert atque onus. Quapropter cum et obligationis fundamentum quod perspicuum esse oportet, omnino desit et lex generalis cui derogare non licet, nisi exceptio sit manifesta, statuat, ius dicenti extra territorium impune quempiam non parere, concludunt eos qui ad vitandam legem alio digrediuntur, lege non teneri, praesertim cum non obscure indicatum id esse existiment a Bonifacio viii *in Cap. 2. de Const. in VI.*

23. Ad tertiam denique regulam quod spectat haec iuvat animadvertere; 1) praecepta, quae ab eo qui legitime praeest cuipiam indicta sunt sine relatione ad locum, leges esse personales adeoque personae quocumque tandem discesserit adhaerere; *Cf. Reiffenstuel Ius Can. Univers. L. 1. Tit. 2. n. 43.* 2) leges atque consuetudines alicuius loci quae a iure communi abhorrent, localis instar privilegii habendas esse, proindeque extra eiusdem loci fines protinus cessare. *Cf. Sanchez L. 1. in Decal. c. 12, n. 39.*

## ARTICULUS II.

### DE RESCRIPTIS.

24. Licet Rescripta recte inter leges connumerentur, quandoquidem quod Principi placuit, legis habet vigorem *L. 1, ff. de Const. Princip.*, nihilominus propriam habent naturam, quare hisce praesertim rationibus a legibus differunt quod non pro tota

communitate, neque motu absolute proprio, sed favore privatorum et ad eorum instantiam eduntur; ita ut relativa haec duo habeantur supplices litterae ad principem missae et principis ad eas rescriptum. Regulariter igitur Rescriptum definitur: « Responsum principis scripto datum ad alterius instantiam. » Dicitur autem *scripto datum*, quia si oretenus datum sit, non rescriptum nominatur, sed *vivae vocis oraculum*, quod eatenus tantum a rescripto differt, quatenus ut de eo exinde constet, legitimo alicuius testimonio scriptis consignato muniendum illud est, magistratus nempe vel officialis, qui illud a Principe prolatum audivit.

Cum autem inter se rescripta non parum differant, eorum etiam animadvertenda partitio est in *rescripta gratiae*, quae dantur extra litem ad gratiam aliquam seu beneficium alicui conferendum et *rescripta iustitiae*, quae dantur ad lites, sive Princeps de obscuro partium iure consulatur, sive quidpiam aliud iubeat quod ad constitutionem iudicis, ad formam iudicii, denique ad litem dirimendam tendat.

His praemissis, regulas rescriptorum proprias, ordine exponemus eodem, quo regulas exposuimus omnium legum communes ita ut 1) de legitima eorum vi; 2) de vero eorumdem sensu agamus.

### § I. — *De legitima Rescriptorum vi rite dignoscenda.*

25. Ut certum de Rescriptis iudicium ferri possit, tria sunt tempora inspicienda, *actus primus* quo illa eduntur, *actus secundus* quo edita in effectum prodeunt, *tempus subsequens* si forte rescripti vis aliquam ob causam deinde cessavit.

#### QUAESTIO PRIMA

##### DE VI RESCRIPTI IN ACTU PRIMO.

26. Si quid essentiale rescripto desit, aut deesse merito censeatur, rescriptum in suo actu primo invalidum esse, nemo non sentit. Proprie autem essentiale, praetermisso defectu potestatis in Principe, cui dignoscendo regulae ceterarum legum communes suppetunt, nihil aliud in rescripto est, nisi certa principis voluntas ita vere statuentis. Quapropter si veram Principis voluntatem in rescripto deesse appareat, invalidum in actu suo

primo illud esse omnino necesse est. Id autem duplici de causa vel alterutra fieri potest, sive quod extortum, sive quod falsum certis ex indiciis appareat.

27. Ad extorsionem quod pertinet, non erit abs re hoc praenotare, ianseniana e fuisse fraudis eo nomine abuti, ut rescripta et Constitutiones pontificias, quae sibi adversa essent, eluderent. Perperam tamen et non sine vera impietate. Etenim in re quae ad doctrinam sive fidei sive morum spectat, nullam in Romani Pontificis Constitutionibus extorsionem licet suspicari, etiamsi agatur de iudicio doctrinali quod ab eo de aliquo monumento latum sit, dummodo monumentum non adulteratum, sed genuinum eiusdem oculis fuerit subiectum. Infallibilitas enim qua doctrinalia eiusdem iudicia gaudent, constare nullo modo posset, si eius aut intellectus aut voluntas ad falsum malis artibus deflecti queat, quae quidem unicae sunt viae ad extorsionem. Hinc celebris distinctio *facti* et *iuris* per quam in eiusmodi iudicia et extorsionem et errorem cadere posse contendebant Ianseniani, a compluribus primum Galliae Episcopis an. 1654, tum eodem anno die 29 Sept. ab Innocentio x, tum an. 1656 ab Alexandro vii *Const.* « Ad Sacram B. Petri Sedem » damnata est. Hinc etiam damnata est ab Alexandro viii *die 7 Dec. 1690* eorum audacia, qui Constitutionem « In eminenti » subreptitiam dixerunt; tum a Clemente xi *Const.* « Et circumspecta » *diei 18 Nov. 1716* audacia iterum eorum, qui decretum falsum et adulterinum i. e. subreptitium, Constitutionem *Unigenitus* appellarunt. Denique duo libelli in quibus subreptitia dicebatur Const. Clementis XIII diei 7 Ianuar. 1764 quae incipit *Apostolicum pascendi* a Congreg. S. Officii eiusdem Summi Pontificis iussu, duobus gravissimis decretis, quorum alterum die 4 Sept. an. 1765, alterum die 12 Martii 1766 editum est, damnati pariter sunt eorumque ausum *exsecrabile scelus* appellatum est et *scandalum adversus Ecclesiam positum.*

28. Exclusis igitur ab exceptione extorsionis decretis Summi Pontificis, quae ad doctrinam pertinent, quoad cetera et praecipue quoad rescripta de quibus agimus, extorsionis vitium revocatur ad *subreptionem* atque ad *obreptionem*, quae quidem duo ab aliis diversa existimantur, ab aliis synonyma. Qui diversa existimant, nomine *obreptionis* intelligunt vitium rescripti quod oritur ex re falsa in supplicibus litteris narrata, nomine vero *subreptionis* vitium quod oritur ex aliqua veritatis parte silentio

praetermissa. Qui vero eadem significari contendunt, utroque nomine utrumque intelligunt. Quemadmodum autem nomine, ita et re dissentiunt. Illi enim opinantur gravius esse falsum obtrudere, quam verum reticere. Hi vero dicunt, quoad effectum iuris idem esse, quod quidem veritati consonum est.

Iamvero de obreptione ac subreptione ut dignoscatur quando et quatenus eiusmodi vitia rescriptis vim demant, hae praesto sunt regulae.

I. Obreptio vel subreptio admissa ex ignorantia vel simplicitate eatenus rescriptum irritum facit, quatenus rei falsae narratio aut verae reticentia voluntatem concedentis mutasset Cap. 20 *de Rescriptis.*

II. Obreptio vel subreptio dolo perpetrata, rescriptum in poenam doli absolute irritum facit. Cap. 20 *de Rescriptis.*

III. Obreptio et subreptio, saltem quoad ea quae concedentis voluntatem non mutassent, simplicitati aut ignorantiae adscribi debent, nisi dolus probetur saltem per probabiles coniecturas. *Argum. Cap. 2 de renunc. in VI.*

IV. Obreptio et subreptio in rescriptis gratiae, rescriptum *ipso iure* irritum faciunt, Cap. 2 *de fil. presbyt. in VI.* Clem. 1 *de praeb.* In rescriptis iustitiae per *sententiam Iudicis* et ope *exceptionis* Cap. 9 *et* 23 *de Rescript.* Cf. *Fagnanum in Cap. 20 de Rescript. n. 22.*

V. Si dubium sit utrum obreptio vel subreptio facta sit per dolum aut ex ignorantia, tunc in rescripto gratiae obreptio et subreptio praesumitur facta ex dolo, in rescripto autem iustitiae dolus non praesumitur, sed probandus relinquitur parti adversae.

29. Quae quidem regulae ut plenius intelligantur paucis declarandae sunt.

Et in prima quidem regula ut satis constet quandonam narratio falsi, aut reticentia veri sit talis, ut, si veritas concedenti patuisset, alia eius fuisset voluntas, cum in rescriptis praeter principem concedentem habeatur et persona quae postulat et res quae impetratur, hinc duo sunt inquirenda, utrum scilicet falsitas aut veri reticentia versetur 1) circa inhabilitatem personae ad rescriptum impetrandum; vel 2) circa causam finalem sive concedendi sive negandi quod petebatur: ad alterutrum enim si pertineat, omnino praesumendum est longe aliam futuram fuisse concedentis voluntatem textu perspicuo quoad primum in Cap. 26 *de Rescriptis*, quoad alterum in Cap. 2 *de filiis presbyt. in VI.*

30. Iamvero personae ad impetrandum inhabiles, sunt 1) quoad rescripta sive gratiae sive iustitiae, et quidem ita ut *ipso iure* rescripti beneficio destituantur, excommunicati excommunicatione maiori etiam occulta, nisi forte agatur de causa ipsius excommunicationis, aut in aliis causis de appellatione Cap. 1 *de Rescript. in VI.*

Diximus *excommunicatione maiori* argumento Capitis 2 *de exceptionibus* et ex regula generali quae docet, verbum *excommunicatio*, quod simpliciter in iure occurrat, intelligendum esse de excommunicatione maiori. Cap. 59 *de sent. excomm.*

Diximus *etiam occulta*, quia iura et praesertim Cap. 1 *de Rescript. in VI*, loquuntur de excommunicato generatim, et quia id manifeste significat praxis Summi Pontificis in suis rescriptis, qui saepe ne rescripti vis intercidat, absolutionem ab excommunicatione ad cautelam in eo addit ad ipsius rescripti effectum tantum obtinendum, etiamsi agatur de personis de quibus ne minima quidem subest excommunicationis suspicio. Quae vero addidimus patent ex dicto Cap. 1, *de Rescriptis in VI*, aut argumento ab eodem ducto.

Denique cum haeretici sint excommunicati, sequitur etiam eos inhabiles esse ad rescriptum impetrandum.

Quoad rescripta iustitiae, inhabiles sunt ad illa impetranda cuicumque alteri, qui eidem sint alieni seu nulla propinquitate coniuncti, neque ab eo mandatum actu validum habeant. Cap. 28, § *Sunt et alii*, *de Rescrip.* et Cap. 23, *eod. tit.* Diximus quoad rescripta iustitiae, secus enim censendum est de rescriptis gratiae, argumento ducto ex iure civili, cui congruit Ius Canonicum in Cap. 25, *de Praeb. in VI.*

Diximus qui sunt *alieni*, secus enim dicendum est de personis coniunctis, quales sunt liberi, parentes, fratres, affines, qui tacitum habere mandatum censentur, nisi constet de voluntate contraria. Argum. ducto a iure civili in *L. Pomponius*, § *finali*, *ff. de Procuratoribus* et in *L. Sed et hae personae*, *ff. eod. tit.*, quibus consonat Ius Canonicum Cap. 28, § *sunt et alii*, et Cap. 33, § *finali*, *de Rescript.*

Denique de hac regula advertendum est, exstare Scriptores, qui eam dicunt contraria Curiae romanae consuetudine abrogatam, sed id alii negant, nec illorum affirmatio probata videtur.

31. Quod autem pertinet, ad *finalem* Rescripti *causam*, ex qua frequentius contingit, ut iudicari debeat utrum obreptio ac

subreptio eiusmodi sit, quae voluntatem concedentis mutasset, haec sunt animadvertenda.

I. Causa finalis in genere ea dici solet, qua non existente, Princeps aut non concessisset, aut aliis clausulis vel limitationibus rescriptum concessisset. Causae autem finali opponitur quae mere *impulsiva* est.

II. Si causa rescripti sit unica, habetur *finalis;* si sit multiplex, quae finalis habenda sit iudicandum est ex causarum natura et ex rei circumstantiis, habita ratione subiectae materiae, Iuris communis, et Curiae consuetudinis. Cf. *Reiffenstuel, in Ius Can. L. 1, Tit. 3, n. 194* et seqq.

III. In dubio utrum finalis sit an impulsiva, censenda est impulsiva, argum. ducto a Iure civili in *L. Cum tale* § *Falsam, ff. de conditionibus et demonstr.* et ex ratione legali, quae in dubio ita rem intelligendam esse iubet, ut actus valeat potius, quam pereat. C. 25, § *Contra, de Verbor. signif.* et *L. Quoties, ff. de rebus dubiis.*

IV. Si plures afferantur causae, quarum singulae finales dici queant, licet una vel altera ex his sit falsa, ea quae vera est ut causa finalis rescripti haberi debet. Argum. Cap. 37, *de Reg. Iuris, in VI.*

V. In specie causa finalis ad negandum rescriptum habetur, vel eidem saltem quoad obreptionem vel subreptionem aequiparatur, quidquid ex iuris praescripto exprimendum erat in supplicibus litteris sub poena nullitatis. Talis aequiparatio ex. g. locum habet in rescriptis sive gratiae sive iustitiae ob *Reiectionem precum*; nempe quando idem negotium coram aliqua Cardinalium Congregatione antea propositum, ab eaque contra postulantis votum definitum, ab alia, negativo illo responso praetermisso seu reticito, posterius rescriptum impetratum fuerit: tunc enim hoc, est ipso iure nullum. Innocentius XII *Const.* « Ut occurratur » *die 4 Iuni 1692*, quae exstat in eius Bullario parvo n. 59, legique potest etiam apud *Giraldi, Expos. Iuris Pont. L. 1, Tit. 42, seu Sect. 214.*

In Rescriptis iustitiae: *a*) iuxta Innocentium IV, *in Cap. Significantibus de Off. Deleg.* quem doctores Iuris Canonici in hac re communiter sequuntur, *qualitas personae miserabilis*, si contra eam postuletur rescriptum; *b*) aliud rescriptum idemque contrarium aut diversum eadem in re ab adversario prius impetratum, Cap. 3, *de Rescript.* nisi adversarius dolo vel negligentia

per annum rescripto suo usus non sit, quo in casu posterius valet, etiamsi de priore mentio facta non fuerit. Cap. 9 et 23 *De Rescript.* Quod si communi partium consensu, prius rescriptum fuerat impetratum, hanc etiam circumstantiam sub poena nullitatis in alterius rescripti petitione exprimendam esse, patet argumento Cap. 3, § *finali*, *de Rescript*, iuncta Glossa v. *de commissione; c*) Defectus integritatis causae, aut ius aliquod adversario ea in re de qua agitur iam quaesitum. Arg. Cap. 10, *de Rescript. in VI.*

In Rescriptis gratiae in genere: Lex aut consuetudo localis, si quae sit, petitioni contraria, Cap. 19, *de Rescript*, neque in iure communi comprehensa, argum. dicti Cap. 19, S. Congreg. Concilii *in Faventina Distributionum*, *22 Iunii* et *13 Iulii 1776*, nisi rescripto addita fuerit clausula *non obstantibus*, etc. Quod si agatur de lege aut statuto locali, quod etiam iuramento firmatum sit, hoc etiam esse exprimendum, argum. dicti Cap. 19 et Cap. 4, *eod. tit. in VI*, censuere complures scriptores, negavit tamen S. Cong. Concilii in dicta Faventina *Distributionum*. In specie, quamvis huius loci non sit, non erit inutile observare quoad obtinenda beneficia a Summo Pontifice vel ab eius Legato, non autem a ceteris collatoribus: *Clem. 2*, *de off. Iudic. Ord.*, exprimendum esse:

*a*) Aliud Beneficium quod is qui petit forte habeat, Cap. 17, *de Rescript.* etiamsi modicum et vitae tuendae insufficiens, Cap. 21 et 23, *de Praeb. in VI*, vel sit mera vicaria sed tamen perpetua, Cap. 27, *de Rescript.*, vel ius tantum ad illud habeatur, Cap. 32, *de Rescript.*, vel possessio iam tradita, ablata deinceps fuerit, argum. dicti Cap. 32, *de Rescript.*

*b*) Onus curae animarum quod forte insit beneficio, sive illi quod petitur, sive alteri quod iam forte possideatur. *Clem. 1*, *de Praeb.*

*c*) Quodlibet ius quod tertio cuipiam in idem beneficium quod petitur, quaesitum fuerit, Arg. Cap. 10, *de Rescript. in VI.*

*d*) Conditio quaelibet fundationi beneficii apposita, quae petenti adversetur, Concil. Trid. *Sess. 25*, Cap. 5, in fine *de Reform.*, nisi tamen iure ipso communi praecepta sit, eademque in iure, non in facto consistat, quia tunc non ignotam esse Principi existimatur.

Quoad obtinendas dispensationes ab impedimentis matrimonii quid in supplicibus litteris exprimendum sit inferius exponemus.

32. Quoad alteram regulam, quae dolosa obreptione vel subreptione rescriptum irritari docet in poenam doli, ut ea rite intelligatur, duo sunt perpendenda 1) Materia obreptionis vel subreptionis, quae talis esse debet, ut plus minusve ad negotium de quo agitur, *intrinsece* tamen, pertineat. Diximus *intrinsece*, quia si *extrinsece* et omnino per *accidens* ad negotium referatur, eiusmodi obreptio rescriptum non vitiat, ut si quis ex. gr. Graecus, nationem suam male in Curia audire ratus, Syrum se dicat, ita tamen ut de veritate eius personae nulla suboriri aequivocatio possit. Argum. Cap. 34, *de Rescript.* Cf. Pichler *L. 1, Tit. 3. n, 26, de Rescript.* — Diximus *plus minusve*, licet enim obreptionis materia non sit omnino substantialis et finalem rescripti causam non constituat, irritum nihilominus rescriptum facit, alioquin nulla extaret oppositio inter obreptionem quae ex dolo fit et eam quae fit ex simplicitate, contra manifestam Pontificis mentem in dicto Cap. 20, *de Rescript.* 2) Ratio cur dolosa obreptione rescriptum vitiatur, haec est: nimirum quia absurdum videtur ex illo actu quempiam beneficium capere, quo principem ipsum decepit proindeque laesit. Unde sequitur rescriptum quoad unam tantum partem dolosa subreptione infectum, etiam quoad ceteras partes irritum fieri. Ita DD. communiter contra paucos.

Tertia et quarta regula pleniore declaratione non indigent.

33. Sequitur alterum caput, unde a rescripto abesse vera Principis voluntas iure existimatur, proindeque illud in ipso primo actu censetur invalidum, nimirum si ex probabilibus indiciis falsum illud esse apparet. Ex huiusmodi autem indiciis haec praecipua numerantur:

1) Defectus consuetae formae, de qua videri potest Glossa in Cap. *Licet, de crimine falsi* et Pichler, *in Ius Can. L. 1, tit. 3, n. 9.*

2) Rasura litterarum in parte dispositiva, Cap. 7, *de religiosis domibus*, nisi aliunde suspicio omnis adimatur, ex. gr. si rescriptum in manu adversarii sit, cui proinde rasurae fraus sit adscribenda, vel si clausum ac signatum Ordinario traditum fuerit, unde in ipsa Cancellaria rasuram factam esse praesumi debeat, vel si legitimis testibus rescripti fides confirmatur. Cf. Reiffenstuel, *L. 1, tit. 3*, et praesertim Riganti, *in Reg. Canc., Reg. 27, n. 178:* ubi monet, non ita facile hac de causa reiicienda esse rescripta, cum in ipsa Cancellaria abradi correctionis causa non raro litterae soleant et aliquando etiam diversa manu.

3) Error latinitatis manifestus, nisi eiusmodi sit, qui legen-

tium oculos facile fugere possit. Diximus *latinitatis*, textu expresso in Cap. 11, *de Rescript.*, si enim error sit ex. gr. in nomine vel in Dioecesi impetrantis, rescriptum non vitiat, dummodo de persona ita constet, ut voluntas concedentis non reddatur incerta. Argum. ducto a Iure Civili, in *L. Si in nomine, C. de Testam.* quo quidem referendum est Cap. 34, *de Rescript.*, quod adversari videtur. Diximus *manifestus* textu expresso in dicto Cap. 11. *de Rescript.*; non enim error dici potest, qui defendi quomodolibet queat. Diximus nisi talis sit *qui legentium oculos facile fugiat*, textu expresso in Cap. 11, *de fide Inst*; cum enim idcirco falsitatis praesumptionem error latinitatis inducat, quia verisimile non est animadversum illum non fuisse, siquidem Rescripta Pontificia sub oculos multorum transeunt, qui litteris exculti sunt, consequens est in praedicto casu praesumptionis fundamentum deficere.

4) Addunt nonnulli, indicium esse falsitatis si quid valde durum in rescripto praecipiatur. Ne tamen evertendis Summi Pontificis rescriptis aditus nimis amplus aperiatur, dicendum potius est non falsitatis praesumptionem ea re induci, sed iustam praeberi causam ad rescripti executionem paulisper suspendendam, ut de vera eius voluntate consuli Pontifex interea possit. Textu expresso in Cap. 5, *de Rescript.*

34. Ex his quae dicta sunt, innotescere satis potest quandonam rescriptis in primo eorum actu sua utcumque vis constet. At quousque extendi haec vis debeat, manifestum fiet ex verbis, quibus rescripti pars dispositiva concepta est, tum etiam, quemadmodum de Lege in genere monuimus, ex clausulis rescripto adnexis. Iamvero eiusmodi clausulae aliae sunt omnium Legum communes, de quibus satis diximus, aliae autem Rescriptorum propriae, aut quae in Rescriptis propriam vim habent. Harum porro aliquas attingere, quae scilicet vel frequentiores sint, vel aliqua declaratione indigeant, operae pretium existimamus.

## I.

Motu proprio. Eiusmodi clausula omnibus sane legibus communis esse potest, at frequentior est in rescriptis. Significat autem Principem mera liberalitate sua ad gratiam concedendam permotum fuisse, licet ab impetrante fuerit petita. Unde sequitur

eiusmodi clausula subreptionis vitium sanari, Cap. 23 *de Praeb., in VI.* His tamen exceptis: *a)* Si praeter clausulam *motu proprio* ipsius rescripti causam et quidem finalem Princeps adiiciat, quae deinceps falsa esse reperiatur. Cf. *Reiffenst. L. 1, Tit. 3. n. 206.* — *b)* Si agatur de defectu habilitatis vel generatim ad rescripta obtinenda, vel nominatim ad eam impetrandam gratiam de qua agitur, ut contingeret ex. gr. de irregulari, qui beneficium obtinuerit quin eius irregularitatis neque in supplicibus litteris, neque in rescripto mentio fiat. — *c)* Si agatur de praeiudicio iuris tertii, cuius facta mentio non fuerit.

II.

Ex certa scientia. Vis huius clausulae est superiori simillima, proindeque subreptionis vitium sanat generatim, et iisdem subiecta est exceptionibus.

III

Et alia (negotia) et contra alias (personas). Hae clausulae similesque aliae indefinitae, intelliguntur de negotiis, personis etc. iis quae sunt expressis similes, neque ullo modo privilegiatae aut diversi ordinis. Cf. Layman, *in Ius Can., Cap. 15 de Rescript. n. 3 et 4* ubi recte monet de hac voce *alias* doctrinam omnigene universalem tradi non posse, sed rescribentis mentem esse spectandam, quae partim ex subiecta materia, partim ex verborum contextu colligetur.

IV.

Quaedam aliae (personae) etc. Tres aut quatuor hac comprehensi clausula intelligi debent. Cap. *2, de Rescript. in VI.*

V.

Conscientiam tuam oneramus. His verbis fidei eius cui haec dicuntur, tamquam arbitrio boni viri, negotium committitur. Hinc sequitur: *a)* Eum qui a Principe sub hac clausula est delegatus, arbitrio boni viri agere oportere, quod tamen eruendum est non ex conscientia privata, sed ex communi et publica;

*b)* aequitatem quam sequi debet boni viri arbitratio, iuris rigori per eiusmodi clausulam substitui; *c)* denique a sententia eius cui rescriptum sub tali clausula commissum est tamquam a iudicio arbitri, non Iudicis proprie dicti, nullam admitti appellationem, salvo tantum ad Principem aditu per supplicationem. Cf. Barbosa, *Tract. de Clausulis, Claus. 24*, qui addit, virum per hanc clausulam a Principe delegatum, non posse alios subdelegare; sed contrarium sentit Riganti *in Comm. in Reg. Canc. Reg. 48 n. 8*, et cum eo alii.

Complures aliae sunt clausulae, quae in Rescriptis occurrunt, frequentissimae vero illae: *Si ita est, Si preces veritate nitantur* etc, quae quidem regulariter etiam subintelligi solent. Earum tamen plerarumque vis manifesta est, et de illis in secunda parte huius tractationis mentio recurret. Si quae autem sunt aliae memoratu dignae, necessario de iisdem mentio in ea quae mox sequitur quaestione secunda facienda est. Hic satis erit iterum monuisse, commentarium de Clausulis satis amplum scriptum esse a Barbosa, plurimasque earum expositas fuisse a Rosa in suo *Tract. de executoribus Litt. Apostolic. P. I, C. 4* et *P. 2, Cap. 4*, qui consuli possunt.

## QUAESTIO SECUNDA

### DE RESCRIPTIS IN ACTU SECUNDO QUO SCILICET IN EFFECTUM PRODEUNT.

35. Prodeunt in effectum rescripta, cum executionem obtinent. Executionem autem aliquando liberam atque expeditam habere possunt, cum ipsis Oratoribus rescripta a Principe diriguntur, neque alterius opera ullo pacto indigent. Aliquando vero alterius indigent opera; sive quod res ipsa id postulet, ex. gr. cum de gratia agitur, qua quis ordinari possit extra tempora, quod sine Episcopi ordinantis opera executionem habere non potest, huc pertinet Caput. 31 *de Off. Iud. Deleg;* sive quod ordinem publicum attingant, quo sane in casu si publici ordinis curator, id est, Ordinarius Dioecesis rationem cur ita agatur postulet, eidem saltem per exemplar a publico scriba recognitum, exhibenda erunt, non quidem ut approbentur, sed ne ille imprudens, quippe qui rescriptum ignoret, impedimentum aliquod apponat; sive denique quod ipse Princeps executores rescripti sui

designarit. Priores casus innuisse satis sit. De hoc postremo agendum breviter est, ac tria de ipso inquirenda: 1) quinam sint eiusmodi executores; 2) quae et quanta eorum opera esse debeat; 3) intra quod tempus iidem sint adeundi.

36. Ad primum quod pertinet satis sit animadvertere, falso a quibusdam scriptum esse, executionem litterarum apostolicarum ad Ordinarios ipso iure pertinere, eamque sine illorum auctoritate fieri non posse. Quod enim hoc ex iure quodam Episcopis insito deducunt, profecto contra Primatus rationem faciunt contraque Ecclesiae constitutionem; quod autem ex iure ipso ecclesiastico id eruere conantur, id etiam perperam et frusta faciunt. Ex duobus enim locis quae citari solent, primum, id est CAPUT 31 *de Off. Iud. Deleg.*, quo pertineat in superiori numero vidimus; alterum, id est decretum S. Concilii Tridentini sessione *24 de Ref. Cap. 20*, ad executionem litterarum apostolicarum nullo pacto extendi debere statuit GREGORIUS XIII *Constit.* « *Ad Romanum* » *die 10 Iulii 1574*. Quapropter Litterarum Apostolicarum executores nulli alii sunt habendi, nisi qui fuerint a Pontifice Maximo deputati, quanquam in praxi soleant ipsi Ordinarii ut plurimum executores ab eo nominari.

37. At quae sit quantaque eorum aestimanda auctoritas ut clare pateat, duo sunt praenotanda: 1) quotuplex sit executorum species; 2) qua ratione cognosci possit eum, qui executor dictus est, ad unam potius, quam ad alteram speciem pertinere. Iamvero executorum duplex est species, alii quippe sunt *meri*, alii *mixti*. Executor *merus* ille dicitur, cui nudum exequendi ministerium, absque ullo iurisdictionis exercitio, committitur, ita ut eius officium in solo facto consistat, neque Iudicis partes possit assumere. *Mixtus* vero, cui praeter exequendi ministerium, iurisdictio ad rem cognoscendam demandatur, circa quam iudicis partes eum agere necesse est.

38. Duplici porro ratione fit ut qui executor datus est, mixtus haberi debeat: 1) Si Pontifex id expresse dixerit; 2) si eiusmodi clausulae sint appositae, quae vim habere nequeant, nisi mixti executoris partes ille exerceat. Operae autem pretium erit ex his quae celebriores sunt aliquas hic describere.

I.

Constito etc. Sub hac formula non una sed plures clausulae continentur, ex. gr. *constito de assertis*, *constito de bono iure*, vel *de tali facto* etc. Ex omnibus tamen idem prodit effectus, nempe executores per eas *mixti* fiunt, quanquam ii non semper iudicialiter agere teneantur, sed tum tantum quum legitimus adest contradictor, nam si nullus appareat, extraiudicialem rei cognitionem quaerere minime prohibentur.

II.

Vocatis vocandis. His scilicet quorum intersit, qui proinde vi huius clausulae citandi sunt nominatim, si certi sint, per edictum autem commune, si nullus appareat.

III.

Si in evidentem etc. Hoc est si in evidentem Ecclesiae utilitatem res cedat. Clausula haec pertinet ad rescripta in quibus alienatio rei ecclesiasticae permittitur, quaeque etiam dicuntur in forma commissaria, quia committitur executoribus officium de evidenti Ecclesiae utilitate cognoscendi. Haec item clausula reddit executorem *mixtum*, atque ita ut omnino iudicialiter agere debeat, citatis per edictum his quorum forte intersit, perpensisque rationibus, quibus Ecclesiae utilitas probatur, denique facto etiam accessu ad bona quae alienantur; in genere autem servata ad amussim forma, quae in rescripto praescribitur.

IV.

Amoto etc. i. e. amoto quolibet illicito detentore rei de qua agitur. Eiusmodi clausula eatenus executorem mixtum facit, quatenus adsit eiusdem rei alius possessor, vel legitimus contradictor, qui eo in casu sunt citandi (1).

---

(1) In forma dignum. Haec clausula, quae habet in ventre alteram *dummodo de tempore datae praesentium non sit alteri ius quaesitum etc.* et *amoto* etc. pertinet ad rem beneficiariam atque opponitur alteri clausulae seu potius formae

Has porro clausulas utpote frequentiores memorandas esse duximus. Illud tamen non est praetermittendum, etiamsi nulla in rescripto sit clausula, si tamen rei de qua agitur alius adsit possessor, executorem eo in casu per accidens fieri *mixtum*, cum possessor ob meram executoris monitionem sine iudiciario processu ius suum deserere minime teneatur.

39. His praecognitis, quae et quanta executorum auctoritas aestimanda sit breviter expendemus. His scilicet qui *meri* sunt, nulla proprie dicta est auctoritas, sed nudum exequendi ministerium, decreto scilicet edito, ut qui rescriptum obtinuit, in gratiae possessionem immittatur. Hi vero qui sunt *mixti* tanta pollent auctoritate, quanta a Summo Pontifice vel expresse vel saltem implicite, vi clausularum iis delata est. In specie autem haec sunt animadvertenda quoad executorum officium.

I. Mercedem aut munera pro suo officio exigere aut recipere executoribus nullatenus licet, nisi forte sit *exculentum* aut *poculentum*, quod brevi consumi possit, quodque ex mera liberalitate fuit oblatum. Reliquae autem expensae aut omnino vitandae, aut modicae quantum fieri potest, faciendae: Cap. *Statutum, de Rescript. in VI*, cui consonant *Constitutiones* Alexandri XII quae incipit *Inter gravissimas, 2 Maii 1656*, et Innocentii XII quae incipit *Sacerdotalem, die 29 Ianuarii 1699*, et Sacra Cong. Concilii apud Cardinalem Petra, *Comm. in Const. Apost. Tom. V, in Const. V.am* Pauli II, *Sect. 5, n. 62.*

II. Executores meri non habent subdelegandi facultatem; de mixtis autem dubitatur, cum alii dicant eos pares esse ceteris iudicibus a Principe delegatis, qui alios subdelegare possunt, nisi forte adsit clausula *per te exequaris:* alii autem negent saltem quoad ipsum executionis decretum, cum eos ita a Principe delegatos esse dicant, ut hic industriam eorum propriam spectasse censendus sit, licet quoad causae cognitionem hanc illis facultatem denegare vereantur. In hoc Doctorum dissensu, prior sententia magis arridet, licet altera certe sit tutior

---

expediendi litteras apostolicas in beneficiis conferendis, quae dicitur *in forma gratiosa*. Hoc autem inter utramque intercedit discrimen, quod per hanc beneficia ab ipso Pontifice conferuntur, per illam mandatum conferendi Ordinario datur, quatenus is qui rescriptum impetravit idoneus reperiatur. Hinc sequitur in rescriptis seu brevibus, quae edita sunt in *forma gratiosa* executores esse *meros*, in iis vero quae sub altera, *mixtos*.

ab eaque recedendum non esse moneat Card. Petra l. c. *n. 63* saltem quoad executores cum clausula *si in evidentem.*

III. Negligente executore rescriptum exequi, eaque de causa alio a Sede Apostolica impetrato, executor primus potestate sua cadit.

IV. Potestas executoris expirat multiplici modo, nimirum: *a)* re perfecta i. e. immisso oratore in gratiae possessionem; *b)* revocatione, sive sponte a Romano Pontifice facta, sive ad petitionem Oratoris, qui executorem in suspicionem adduxerit causamque suspicionis exposuerit; *c)* morte delegantis i. e. ipsius Pontificis *re integra*, quae in rescriptis gratiae talis esse desinit quolibet intercedente actu iurisdictionis, ex. gr. si super precum veritate iusserit executor informationem quaerere: in rescriptis vero iustitiae per citationem; *d)* morte executoris, si eiusdem delegatio personalis sit, qualis utique censenda est semper, nisi facta fuerit dignitati simpliciter et quidem ita, ut personae industriam spectatam fuisse aliunde non appareat.

V. Appellatio a decreto executoris *meri* non admittitur, nisi forte modum eidem praescriptum ipse excesserit, *Cap. 43 de Appell.* Admittitur a sententia executoris *mixti*, tum devolutiva, tum suspensiva, prout immissio in possessionem gratiae facta iam fuerit, vel secus.

40. Denique quod pertinet ad tertiam partem quaestionis, id est intra quod tempus praesentari executoribus rescripta debeant, si de tempore agatur quo vivit adhuc Pontifex, qui rescriptum concessit, ad definiendum legitimum tempus quo illud praesentari utiliter possit, hae sunt regulae.

I. Rescriptum inspiciatur, si forte praesentationis tempus ibi fuerit definitum.

II. Si nullum in rescripto definitum fuerit tempus, distinguantur rescripta gratiae a rescriptis iustitiae.

Quoad rescripta *gratiae* tempus nullo limite coarctatur, nisi dolus vel notabilis intercesserit negligentia non sine aliqua competitorum iniuria. Cap. 12, § *finali de Rescript. in VI.*

Rescripta vero *iustitiae* praesentari tamdiu possunt, quamdiu durat ius agendi vel excipiendi quoad illud quod impetratum est, quia rescripta etiam iustitiae regulariter sunt perpetua. Si autem impetrans rescriptum solido anno exhibere neglexerit, alius vero interim aliud obtineat, praevaleret hoc secundum, licet prioris non sit in eo facta mentio. Cap. 23, *h. t*

Morte concedentis expirant rescripta iustitiae re integra; rescripta vero gratiae quae continent in se gratiam factam, re licet integra, non expirant, si autem contineant gratiam primum faciendam, tunc, re adhuc integra expirant, per mortem concedentis. Cap. 9, *de off. et potest Iud. deleg. in VI.*

## QUAESTIO III.

### DE RESCRIPTI VI POST EXECUTIONEM AC DEINCEPS.

41. Rescripti executione rite perfecta, tum demum eiusdem vis palam prodit. Hoc praemisso, duo veniunt inquirenda: 1) a quo tempore rescripti effectus sint inchoandi; 2) an aliquid forte obortum subinde sit quo rescripti vis aut in dubium revocari queat aut omnino fuerit extincta.

42. Tempus ex quo rescripti effectus inchoandi sunt hisce regulis definitur.

I. Rescripta iustitiae ad hoc ut iudici in iis delegato conferatur iurisdictio, effectum habent a die praesentationis. *Cap. 12,* § *Si autem de appell. et 59, e. t.* Quoad ea vero quae pertinent ad statum controversiae, a tempore quo rescripta data sunt. *Cap. 43 de Rescript.*

II. Rescripta gratiae a tempore quo data sunt effectum sortiuntur. *Cap. 7 et 31 de Praeb. in VI.* Aliquando autem, ex particulari quadam causa et gratiae nomine, concessum est, ut a die exhibitionis precum rescripti effectus haberetur.

III. Nominatim ad praelationem obtinendam prae competitore, cum utriusque rescripta eodem die data sunt, conferatur Reg. Cancell. *XVII* ibique Rigantius.

43. Alterum, qua nempe ratione Rescripti vis post eiusdem executionem revocari in dubium aut etiam extingui possit, breviter perstringemus. Nimirum:

I. Revocatur in dubium per subsequentem litem, quam tamen movere contra Rescriptum non licet, nisi prius impetretur ea de re venia, quae dicitur *aperitio oris.*

II. Expirat multiplici modo, id est a) morte concedentis, si eiusmodi terminum ab ipso concedente fuisse constitutum merito argui possit, cuius rei exemplum habetur in *Cap. 5 de Rescript. in VI,* ubi morte concedentis expirasse dicitur rescriptum sub

ea clausula concessum *usque ad beneplacitum nostrum;* secus si rescriptum sit *usque ad beneplacitum sedis apostolicae.* b) Renuntiatione eius qui rescriptum obtinuit quatenus renuntiantis favor in ea respiciatur neque alterius iuri feratur detrimentum. Arg. *Cap. 12 de foro compet.* c) Revocatione a concedente facta, de qua tamen videnda sunt quae infra dicentur in sequenti Articulo *de Privilegiis*, cum privilegii et rescripti ratio non admodum diversa sit. d) Quoad rescripta gratiae, morte eius cuius favore rescriptum concessum est. Contra in rescriptis iustitiae in quibus, eadem manente controversia, rescripti vis etiam ad heredes transit, non obstante Cap. 6 *de Rescript.* in quo de successore feudali, non autem de herede sermo est. e) Denique iis ferme modis quibus privilegia finiuntur.

§ II. *De vero Rescriptorum sensu seu de vera eorumdem interpretatione.*

44. De vera Rescriptorum interpretatione hoc primum tenendum est, quas regulas de legibus generatim acceptis superius statuimus, easdem et in Rescriptis locum habere. Cum tamen sub legum genere rescripta speciem constituant, propriamque habeant naturam, iis proinde recte intelligendis aliquot etiam regulae eorumdem propriae afferuntur, sunt autem quae sequuntur.

I. Siquidem Rescriptum est Principis responsum ad supplices Oratoris litteras, sequitur ita illud intelligendum esse, ut cum supplicibus litteris cohaereat. S. Congr. Concil. *in Milevitana Benefic. die 28 Ianuarii 1832.*

II. Cum Rescriptum quod iuri communi non deroget, aut alterius conditionem graviorem non faciat rarum sit, quae autem pertinent ad beneficiorum collationem, etiamsi neque de iure communi neque de proprio quidquam detrahant, nihilominus inter odiosa in iure adnumerentur, hinc regulariter rescripta strictae interpretationis censenda sunt. S. Congr. Concil. *in Ariminen. Parochiarum, die 5 Sept. 1821.* Si quod tamen occurrat rescriptum in quo nulla ex praedictis rationibus appareat, latius erit interpretandum. Cap. 22 *de Privileg.* Cap. 16 *de verbor. signif.*

III. Si quod dubium exoriatur utrum gratiae an iustitiae rescriptum dici debeat, iustitiae esse, praesumendum est.

IV. Verba hortatoria, quae in Rescriptis forte reperiantur praeceptiva habenda sunt, S. Congr. Concil. *in Firmana Cappellaniae die 18 Sept. 1802.*

## ARTICULUS III

### DE PRIVILEGIIS.

45. Privilegiis multa cum rescriptis multaque cum legibus in genere sunt communia, sive ea spectentur quae ad eorum vim, sive ea quae ad eorum sensum rite definiendum pertinent. Quapropter ne acta iterum agantur, ea tantum exponemus, quae aut eorum omnino propria sunt, aut saltem ad hunc locum tamquam opportuniorem consulto transmisimus, et quadruplicem instituemus quaestionem, quarum prima sit de eorum natura ac divisione; altera de eorum adquisitione; tertia de interpretatione; quarta de extinctione seu cessatione.

### § I. *De Privilegiorum natura ac divisione.*

46. Privilegium quasi privata lex dicitur. Cap. 25, § *hic autem sensus, de verbor. signif.* Definitur autem « concessio permanens alicuius iuris specialis, a legitimo superiore facta contra vel praeter ius commune ». *Permanens* diximus, quia sine aliqua temporis duratione nullum reperitur privilegium, ac in ea re differt a dispensatione, quae etiam unico actu finiri potest.

47. Iamvero privilegiorum species multiplex distinguitur, praecipuae autem ac mentione dignae sunt sequentes.

I. Ratione concedentis, alia sunt concessa *motu proprio*, alia concessa *ad instantiam.*

II. Ratione subiecti, alia sunt *personalia*, quae immediate collata sunt in favorem certae atque individuae personae, sive una ea sit, sive plures; alia vero sunt *realia*, quae mediate quidem personis prosunt, immediate autem et directe collata sunt rei a persona distinctae, sive sit locus, sive fundus, sive corpus seu Collegium, sive status, dignitas, officium etc., quatenus talia haec sunt, ut qui in ea conditione reperiuntur, et quatenus reperiuntur, ii privilegio gaudeant.

III. Ratione causae finalis, alia dicuntur *gratuita*, quae ex mera liberalitate; alia *remuneratoria*, quae meritis rependendis conferuntur, qualia sunt aliqua Regularium privilegia; alia *one-*

*rosa* seu *conventionalia*, quae per modum contractus in gratiam alterius rei vel iuris, cui privilegiatus cesserit, collata sunt.

IV. Ratione formae, alia sunt *clausa in corpore iuris*, quae quidem rationem habent legis, qualia ex. gr. sunt privilegia clericorum; alia vero *specialiter concessa*, quae proprie privilegia sunt.

## § II. *De privilegiorum adquisitione.*

48. Duplex est ratio qua privilegia comparantur, *adquisitione* nimirum et *communicatione;* unde et ipsa privilegia alia dicuntur primo per se concessa, alia ad instar. Quod pertinet ad adquisitionem, communis ea ratio est cum Rescriptis, adeoque non est cur in ea immoremur. De communicatione brevis quaedam declaratio subiicienda est.

49. *Communicatione* comparantur privilegia, cum ita collata sunt, ut respectus habeatur (non quidem dependentiae, sed explicationis causa) ad eadem privilegia iam aliis concessa; ex. gr. si ita dictum sit: Concedimus Capitulo Ecclesiae Tiburtinae eadem privilegia, quae Viterbiensi concessa sunt.

Triplici modo eiusmodi communicatio fieri potest: 1° formula generalibus terminis concepta; 2° formula absolutam paritatem indicante, ex. gr. *pariformiter, aeque principaliter;* 3° denique cum limitatione et per quamdam accessionis rationem ita ex. gr. quaedam Regularium privilegia communicantur etiam eorum familiaribus. Hinc pro diverso modo quo communicata sunt, diversa est privilegiorum extensio, ita ut eiusmodi regulae statui possint.

I. Per formulam generalibus verbis simpliciter conceptam ordinaria quidem omnia, non autem extraordinaria privilegia communicantur. Argum. Cap. 81, *de Reg. Iuris in VI.*

II. Formula absolutam paritatem indicante communicantur etiam extraordinaria, iis exceptis, quae particularem et individuam habent causam, vel quae Pontifex aliis communicari expresse vetuit, vel tandem quae omnino importuna et noxia forent ei, qui communicationis iure utitur, ut essent quaedam ordinum militarium privilegia relata ad alios Regulares.

III. Quae tertio modo communicata sunt, non alia intelliguntur, quam quae sunt expressa. Cf. Picheler *Ius Canon. explic. Tit. de Privileg. n. 13.*

50. His quae de privilegiorum adquisitione dicta sunt, appendicis instar tamquam ad idem caput pertinens, nonnihil est addendum de eorumdem *confirmatione*, quandoquidem sollicitudo privilegiis conservandis consuetudinem induxit postulandi identidem eorumdem confirmationem. Quid igitur ea confirmatio sit et quotuplex, quaeque sint clausulae notatu dignae, quae eidem apponi consueverunt, breviter aperiemus.

51. Privilegii confirmatio est, ut patet, privilegii antea legitime quaesiti innovatio et corroboratio seu quaedam veluti nova concessio. Cap. 6 *de fide istrum.* Duplex confirmationis ratio seu forma esse potest, alia *communis* seu ordinaria, alia *specialis.* Prima est cum privilegium aut simpliciter sine ulla eiusdem conditione confirmatur, aut expresse sub ea clausula *prout hic et nunc* reperitur, quae quidem confirmatio privilegium in suo statu relinquit, et si forte invalidum sit, nullam eidem addit vim. Altera est, cum, re cognita et voluntate privilegium, si opus sit, instaurandi sufficienter patefacta, idem confirmatur. Haec autem argui solet vel ex clausulis in confirmatione adhibitis *ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, supplendo omnes defectus* etc. vel saltem ex insertione ipsius privilegii. *Glossa in Cap. Pastoralis,* § *Praeterea, de Off. Iud. Deleg.* Confirmatio haec tribuit ius novum, et actum, cui accedit, validum reddit, si forte prius fuisset invalidus, modo defectus quo laborat actus a confirmante sit dispensabilis, vel in eo dispensari soleat. Cap. 5. *de Confir. util.* ibique DD. Quod si dubium sit utrum confirmatio facta sit in forma communi, an speciali, eam in forma communi censendam esse ex generalibus regulis facile quisque perspiciet. Cf. *Reiffenstuel in Ius Can. Univ. L. 2, Tit. 30, n. 10,* seq.

Notabiliores porro clausulae quae in privilegiorum confirmationibus solent occurrere, hae sunt.

## I.

Quatenus sunt in usu. Haec clausula aperte significat confirmationem ad ea privilegia non extendi, quae usu contrario, vel non usu (quod qua ratione fiat deinceps exponetur) amissa sunt.

II.

Dummodo sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini non adversentur. Hac in clausula verba *sacris canonibus* intelligenda non sunt de Canonibus in Corpus Iuris relatis; alioquin clausula esset absurda. Referri ea verba non secus ac sequens vocabulum *decretis* ad Concilium Tridentinum, consentiunt DD. Clausula haec excipit a confirmatione ea tantum privilegia, quae expresse revocata sunt a Concilio Tridentino, saltem per clausulam *non obstantibus privilegiis* etc., quandoquidem lex generalis privilegiis legibusque specialibus non derogat, nisi id statuat expresse.

III.

Dummodo non sint revocata. Huius etiam clausulae aperta significatio est. Notandum tamen, eam non extendi ad illa privilegia, quae post revocationem iterum concessa fuerunt, quia nova concessione vetus revocatio ita sublata est, ac si nunquam exstitisset.

§ III. *De interpretatione Privilegiorum.*

52. Ad interpretationem privilegiorum quod pertinet, ea primum animadvertenda sunt, quae diximus de Rescriptorum interpretatione, easdem scilicet regulas quae legum in genere moderantur interpretationem, etiam in privilegiis valere. Nihilominus pro sua natura habent privilegia regulas quasdam suas, quae ceteris praevaleant necesse est, quandoquidem ea quae generalia sunt, iis quae sunt specialia semper in iure vincuntur. Regulae autem eiusmodi hae sunt.

I. Regula iuris « *beneficium Principis latissime est interpretandum* » intelligenda est de privilegiis clausis in corpore iuris, quae scilicet secundum ius sunt; tum etiam de iis quae sunt praeter ius: Argum. *Cap. 1*, § *Ille vero*, *de filiis presbyt. in VI.*, et quidem absque alterius praeiudicio, nisi forte ipsius concedentis; Cap. 22 *de Privileg.;* denique de iis quae concessa sunt *motu proprio et ex certa scientia*, Cap. 23 *et* 24 *de Praeb. in VI*, salvo semper, ut supra, praeiudicio tertii.

II. Regula iuris « privilegium extendi nequit (licet aliqua extendendi ratio esse videatur) de casu ad casum aut de persona ad personam » et quoad sensum et quoad usum ita intelligi debet: a) quoad sensum intelligenda est de interpretatione proprie dicta *extensiva*, ita ut ex mera similitudine casus, eiusmodi extensio fieri omnino nequeat. Quod vero pertinet ad *comprehensivam*, intelligitur de casibus, quae opponuntur iis, in quibus prior regula locum sibi vindicat. b) Quoad usum, moderatius ac remissius adhibenda est in iis privilegiis, quae ad causam piam vel ad bonum publicum concessa sunt. *L. 44 ff. de religiosis.*

III. Privilegia remuneratoria latam habent interpretationem, quandoquidem inter favorabilia recensentur et decet principem in remunerandis meritis esse liberalem.

IV. Privilegia onerosa, cum rationem habeant contractus, strictae potius sunt interpretationis, ita ut non liceat ea latius intelligi, quam proprietas verborum aut necessitas contextus exigit. *Argum. Cap. 6 de donation.*, nisi forte, quod non raro accidit, remunerationis etiam causam habeant.

V. Si privilegiorum verba obscura sunt vel ambigua, ita ut ope regularum quae propositae sunt explicari non posse videantur, interpretatio a Sedis Apostolicae iudicio est requirenda, cum eius sit interpretari, cuius est concedere. Clemens x *Const. Superna, die 21 Iunii 1670.*

## § IV. *De Privilegiorum extinctione.*

53. Restat ut de extinctione privilegiorum loquamur. De ea generatim animadvertendum est, quibus de causis rescripta finiri diximus, iisdem etiam privilegia aboleri. Deinde haec in specie veniunt adnotanda, quae item ut praemonuimus plus minus etiam rescriptis accomodari possunt. Nimirum privilegia finiuntur:

I. Ex parte concedentis, revocatione, quae tamen quatenus valeat ex triplici capite deprehenditur. *Ex ratione sui* seu ipsius revocationis, modo nempe inspecto quo facta fuit, unde hae regulae communi DD. consensu traduntur. a) Revocatio expressa eaque generalis, id est per generalem clausulam « non obstantibus quibuscumque privilegiis », privilegia quae eiusmodi clausula munita sunt ut derogari iis non possit, nisi eorum expressa et specifica mentio fiat, eatenus afficit, quatenus generalibus illis verbis *non*

*obstantibus* etc. etiam haec aut similia addantur *etiamsi expressa et specifica de illis fieri debeat mentio*, vel *sub quacumque verborum formula concessis.* b) Revocatio tacita quae fit per actum directe contrarium privilegio, nulla tamen ipsius privilegii neque speciali neque generali mentione facta, si fuerit facta per legem generalem, abolet ea tantum quae sunt in corpore iuris, non autem alia. Facta autem per posterius privilegium eatenus prius abrogat, quatenus eius mentio facta fuerit, quandoquidem iuri tertii Princeps nocere voluisse nunquam censetur. Cap. 3 *de Rescript.* Cap. 13 *de Off. Iud. Deleg.*

Ex ratione privilegii, si nempe onerosa sint aut remuneratoria, de quibus hae regulae sunt. a) Eiusmodi privilegia nonnisi ex gravi causa ad bonum commune spectante et cum aliqua iuris ablati compensatione aboleri possunt, quia etiam Princeps tenetur servare pacta, proindeque licet ex causa publica, cui privatorum iura obesse nequeunt, possit iisdem derogari, id tamen quam minima fieri possit eorumdem iactura, faciendum est. b) Eorumdem revocatio debet esse specialis, aut saltem hac vel simili clausula munita: *etiamsi per modum contractus*, vel etiam, *meritorum intuitu fuerint concessa.*

Ex ratione eius cui privilegium concessum est, qui si fuerit non subditus privilegio spoliari sine suo consensu regulariter non potest. Unde rectissime Doctores deducunt privilegia a Principibus Ecclesiae concessa, revocari sine eius consensu non posse, vice autem versa contrarium esse tenendum.

II. Finiuntur privilegia ex parte privilegiati, non modo renunciatione de qua supra, sed et per modum praescriptionis *non usu* vel *usu contrario*, hisce tamen sub conditionibus. a) Ut agatur de privilegiis quae cum aliorum gravamine coniuncta sunt. Si enim continent merum privilegiati favorem, in illius libertate relinquitur iisdem uti vel secus. Actus autem facultativi nunquam, ut iuridicum fert adagium, praescribuntur. b) Ut scienter ac voluntarie privilegii usus intermissus sit, vel contrarius admissus. c) Ut legitimum praescriptionis tempus effluxerit pro qualitate privilegii, prout scilicet vel in iure, vel in actione, vel in servitute, etc. situm est.

III. Ex parte *ipsius privilegii* id est subiecti cui inhaeret, seu personae privilegiatae interitu, si personale sit, vel rei, si reale.

54. Alii quoque indicari solent modi, quibus privilegia ex-

tinguuntur. Sunt autem: mutatio causae finalis in contrarium, ita ut illicitus ex superveniente circumstantia eorum usus fiat, damnum superveniens, abusus ex parte privilegiati. Haec tamen omnia, potius quam varii revocationis modi, causae sunt vel rationes cur privilegia rite ac iuste revocentur.

55. Denique de extinctione privilegiorum duo haec sunt animadvertenda: 1) Axioma iuridicum « Privilegiatus contra privilegiatum privilegio non utitur » quod quidem si non extinctio at suspensio quaedam est privilegii, ita intelligi debet, ut agatur de privilegio cuius usus hinc inde contrarius sit et incompatibilis et aequo iure ad utrumque pertineat, ita ut nulla praelationis causa pro alterutro afferri possit. 2) Privilegia per communicationem adquisita minime cessant, etiamsi apud eos cessaverint, quibus primum concessa sunt.

# DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

De dispensationibus matrimonialibus acturi, haec inquiremus: I. Quis sit auctor legitimus dispensationum. II. Quae sit materia dispensationis. III. Quae sint iustae dispensationis causae. IV. Quae sit ratio dispensationis petendae. V. Quae sit vis insita praecipuis clausulis, quae in dispensationum indultis adhibentur. VI. Qua ratione dispensationes sint exsecutioni mandandae. VII. De convalidatione matrimonii eiusque dispensatione seu sanatione in radice agemus. VIII. De privilegio paulino. IX. De dispensatione super vinculo matrimonii rati et non consummati. X. Tandem de regulis servandis in agendis caussis matrimonialibus in specie pertractabimus.

## CAPUT I.

### Quis sit legitimus dispensationis auctor.

1. Potestas statuendi ac vicissim relaxandi impedimenta matrimonium sive impedientia sive dirimentia proprio et ordinario iure exclusive pertinet ad Romanum Pontificem vi sui primatus in universam Ecclesiam et ad Concilia Oecumenica. Solet autem Romanus Pontifex suam dispensandi potestatem exercere per sacras Congregationes Romae constitutas. Et pro foro quidem externo, cum nempe agitur de impedimentis publicis, aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur, utitur Dataria Apostolica, vel si agatur de impedimentis ortis ex publico delicto (ex. gr. quando polygamia aut crimen publicum intercessit), Congregatione S. Officii. Pro foro vero interno, quando nimirum agitur de occultis, Summus Pontifex utitur Sacra Poenitentiaria, per quam tamen, in praesentia, dispensationes dantur etiam in publicis impedimentis, quando dispensatio a pauperibus postulatur. In locis Sacro Consilio Christianae Fidei propagandae subiectis, dispensationes per idem Consilium petuntur

et obtinentur. Dispensationes pro supremis principibus conceduntur per Secretariam Brevium, per quam etiam *Litterae revalidatoriae* seu *perinde valere* (1) Brevibus ea de re datis expediuntur. Denique in gravioribus saepe Romanus Pontifex Sacro Consilio extraordinariis negotiis ecclesiasticis praeposito dispensationes committit.

2. Quamvis iure proprio et nativo potestatem dispensandi a quolibet ex impedimentis quae matrimonium non dirimunt, sed impediunt tantum, unus habeat Romanus Pontifex, aliqua tamen ex iis vel ex concessione S. Sedis, vel ex consuetudine legitime praescripta, relaxari ab Episcopis possunt in propriis dioecesibus, vel ab aliis Praelatis iurisdictionem quasi episcopalem obtinentibus. Diximus aliqua, nam dispensare minime possunt 1. ab impedimento impediente sponsalium; 2. ab impedimento mixtae religionis, de quo nihilominus S. Sedes interdum concedit praelatis regionum valde dissitarum Indultum, vi cuius dispensare valent impositis praescriptis conditionibus, de quibus infra agemus; 3. ab impedimento voti castitatis perpetuae et 4. voti ingrediendi religionem proprie dictam, seu cum votis solemnibus a S. Sede approbatam; 5. denique dispensare nequeunt Episcopi in interdictione lata a superiore, vel in casu appellationis a Metropolitano, neque in solemnitatibus nuptialibus tempore feriato iure communi vetitis, neque in defectu legalis probationis circa statum liberum nupturientium.

3. In impedimentis dirimentibus possunt Episcopi quandoque in suis dioecesibus dispensare ex Apostolicae Sedis potestate vel *tacite* communicata in casu urgentissimae necessitatis, vel *expresse* accepta, quam pro nonnullis impedimentis non raro Summus Pontifex indulget. Quoad potestatem dispensandi in gravissima necessitate, notandum est, ea uti Episcopos non posse ad convalidandum matrimonium iam contractum, nisi adsint circumstantiae, quas Benedictus xiv enumerat in opere *De Synodo Dioec. l. IX, cap. I, n. 1*, inquiens « non posse Episcopum eam potestatem sibi usurpare nisi simul concurrant sex

(1) Litteris *perinde valere* vis inest revalidandi rescriptum gratiae a Summo Pontifice concessae ex aliqua parte invalidum, atque efficiendi ut huiusmodi rescriptum perinde valeat ac si tempore concessionis validum fuisset. Hae tamen litterae non supplent defectus non expressos. Quare si in gratia *perinde valere* non fuissent expositi omnes defectus, vel praeter impedimenta enunciata alia subinde detecta fuissent, nova gratia opus esset.

circumstantiae; primo scilicet ut iam matrimonium fuerit contractum in faciem Ecclesiae omnibusque adhibitis solemnitatibus: secundo ut contractum fuerit bona fide ex iuris aut facti ignorantia: tertio ut sit consummatum: quarto ut impedimentum sit occultum: quinto ut non possit facile adiri prima Sedes, seu dispensatio a Papa obtineri ob coniugum paupertatem, rusticitatem, locorum distantiam aliasque similes causas: sexto denique ut non possit separatio fieri sine scandalo. » Circa matrimonium contrahendum, duplex ab auctoribus enuntiatur casus: primus est si quis morti proximus ad legitimam reddendam sobolem contrahere vellet cum concubina matrimonium, cui occultum obstat impedimentum et facilis non sit recursus ad Rom. Pontificem: alter est, si omnia iam sint parata ad incundas nuptias, nec ulla succurrat ratio eas differendi absque suspicione criminis et probabilis infamiae nupturientis occulto dirimente impedimento detenti, donec obtineatur dispensatio a S. Sede. In hoc tamen eventu tria concurrere debent ut Episcopus dispensare possit: primo nempe impedimentum sit occultum et tale, ut si evulgaretur, notabilis infamia in nupturientem redundaret. Secundo, neque Pontifex, nec alius ea facultate dispensandi praeditus, adiri queat. Tertio, nulla pateat via evadendi suspicionem occulti criminis et inde infamiam ac scandalum oriturum ex matrimonii dilatione. Denique, sive agatur de revalidando matrimonio iam contracto, sive de matrimonio contrahendo, ut Episcopus dispensandi potestate possit uti, necessarium est, ut impedimentum sit ex iis in quibus Apostolica Sedes dispensare consuevit. Itaque non habent episcopi hanc quasi ordinariam potestatem in impedimentum clandestinitatis, neque universim in ea impedimenta in quibus Summus Pontifex per S. Poenitentiariam dispensationem concedere vel non potest vel non solet. Cf. Reiffenstuel, *Append. ad l. 4 Decr. n. 65, 509.*

De hac Episcopi quasi ordinaria potestate quaedam supersunt universim notanda. Et 1) ex ipsa rei natura profluit, Episcopi dispensationem in casibus extraordinariae necessitatis nullatenus suffragari in foro externo; agitur enim de dispensatione ab impedimento occulto. Unde consequitur quod si impedimentum evadat publicum, nova dispensatione opus est a S. Sede in foro externo sive per Datariam, sive, etiam ubi de pauperibus agitur, per S. Poenitentiariam impetranda, quia dispensatio Episcopi in foro tantum conscientiae prodest *(Cf.* Benedict. xiv, *de*

*Syn. Dioec. l. IX, c. II, n. I)*, et idem dicendum, si dispensatum fuerit ab impedimento dubio, quod deinde certum evadat. 2) Facultatem quasi ordinariam delegare non potest Episcopus sive Vicario Generali sive aliis, nisi per mandatum speciale. 3) Quasi ordinariae potestati locus non est, quando habetur expresse delegata. Quae quidem reipsa a S. Poenitentiaria episcopis concedi solet pro casibus occultis affinitatis provenientis ex copula illicita etiam quoad matrimonia contrahenda, « quando tamen omnia parata sunt ad nuptias, nec matrimonium absque periculo gravis scandali differri possit usque dum ab apostolica Sede obtineri possit dispensatio. »

4. In casu urgentissimae necessitatis Capitulum, sede vacante, aeque ac Episcopus dispensare potest usque ad deputationem Vicarii Capitularis, qua secuta, Vicarius Capitularis ea facultate pollet. Metropolitanus vero nequit subdito sui suffraganei dispensationem ipsam concedere, licet irrationabiliter fuerit a suffraganeo negata.

5. Quod ad potestatem *expresse* a S. Sede Episcopis delegatam attinet, notum est, impertiri Episcopis ad determinatum tempus indultum dispensandi a quibusdam impedimentis. Et huc inprimis spectant Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum facultates temporaneae pro foro externo, quae expediuntur per Sacram Congregationem christianae fidei propagandae, quarum aliae ampliores sunt et pro regionibus remotioribus dantur, aliae strictiores et vicinioribus conceduntur Episcopis (1).

---

(1) In Congr. Generali Prop. Fid. diei 22. Ianuarii 1759 quaesitum est: 1 An initium quindennii ad quod conceduntur facultates desumendum sit a die *datae* illarum, an a die quo ipsae perveniunt ad dioecesim et ad manus Episcopi cui conceduntur.

2 An sacerdotes quibus ab Episcopo communicatae sunt facultates ut sede vacante sit qui possit supplere, illis uti possint donec per adventum novi Episcopi vel alio modo Apostolica Sedes provideat, etiamsi expiret quindennium ad quod illae concessae fuerunt demortuo Episcopo, an potius debeant ab illarum usu cessare etiam ante novam provisionem eo ipso tempore, quo propter lapsum quindennii cessare deberet Episcopus ipse si viveret.

3 An si contingat Sacerdotes quibus Episcopus tempore sui obitus praedictas facultates communicavit e vivis excedere, vel discedere a dioecesi sede adhuc vacante et ante novam provisionem apostolicam, possit Vicarius Capitularis illas exercere eodem modo quo posset si, ipsis nemini communicatis, obiisset Episcopus?

Quibus dubiis responsum est: Ad 1$^{m}$ esse computandum a die receptionis et non a die datae.

Ad 2$^{m}$ et 3$^{m}$ non esse tam attendendum numerum 28 Formulae primae et epi-

Solent etiam aliae facultates pro foro conscientiae tantum, sive ad quinquennium, sive ad triennium Episcopis et Vicariis Apostolicis dari per S. Poenitentiariam. Praeter has facultates sive pro foro externo sive pro foro interno aliae quaedam item extraordinariae ad brevius tamen tempus, vel pro certo casuum numero conceduntur, pro regionibus praesertim remotissimis.

6. Ad rectam autem interpretationem huius potestatis sive expresse, sive tacite delegatae, nonnulla prae oculis habenda sunt iuris principia, quae heic subiicere operae pretium est. Horum alia generalia sunt et ad potestatem quocumque modo delegatam spectant: alia referuntur ad litteras apostolicas, quae continent indultum speciale dispensandi intra definitos limites: alia pertinent ad mandatum liberandi certos oratores ab aliquo impedimento, quo sunt irretiti. Hinc, ut ordine procedamus, distinctis paragraphis exponemus quae ad tria enunciata capita pertinent.

## § I. — *De generalibus Iuris principiis.*

### I.

Interpretatio Indulti ad dispensandum facienda est iuxta stylum et praxim romanae Curiae et nominatim illius sacrae Congregationis unde illud emanavit.

---

stolam encyclicam Sac. Congregationis emanatam anno 1743, quam duo Brevia Benedicti XIV, primum scilicet anno 1753, et alterum anno 1755, expresse edita ut melius consuleretur indemnitati dioecesium. Ex his autem constare, quod quilibet Episcopus tenetur dum in vivis est, eligere Vicarium Generalem, qui sede vacante, facultatem habet ex vi eorumdem Brevium exercendi tam iurisdictionem ordinariam, quam delegatam, quam exercebat Episcopus, usque ad novam provisionem faciendam a Sede Apostolica. Praeterea eos, quibus communicatae sunt facultates ab Episcopo dum viveret, non posse uti post mortem Episcopi, nisi durante quindennio iam inchoato et de consensu expresso vel tacito Vicarii generalis qui successit Episcopo. Cessare autem omnem difficultatem circa eos, qui iuxta numerum 28 Formulae I deputati sunt ab Episcopo tempore sui obitus cum satis provisum sit indigentiis fidelium per deputationem Vicarii Generalis, qui ex vi supradictorum Brevium et etiam ex nova declaratione S.mi D. N. constituitur delegatus apostolicus omnesque facultates exercet, non vi delegationis habitae a defuncto Episcopo, sed ex auctoritate sibi tradita a Summo Pontifice. Neque obstare quod in aliquibus dioecesibus necessario sit eligendus Vicarius Capitularis, cum vigore supradictorum Brevium eaedem facultates tribuantur Vicariis Capitularibus, quibus gaudent Vicarii Generales ab Episcopo adhuc superstite deputati.

II.

Dispensationum Litterae si subreptionis vel obreptionis vitio laborent, ipso iure irritae sunt ac nullius roboris, idque intelligendum est non solum de Pontificiis dispensationibus, verum etiam de illis, quae ab Ordinariis concedi possunt sive vigore apostolici indulti, sive in casibus extraordinariae necessitatis.

III.

Praetermissio eorum quae ex iure aut stylo romanae Curiae sunt exprimenda, subreptitiam reddit dispensationem.

IV.

Dolosa subreptio veri vel expressio falsi, etsi praecipua causa non extiterit ob quam dispensatio fuit concessa, eam semper irritam reddit.

V.

Si ex ignorantia vel simplicitate expressum fuerit aliquid falsum et tacitum fuerit aliquid verum, quod requisitum non erat a iure aut stylo romanae Curiae, valida erit dispensatio, dummodo neutrum fuerit causa concessionis, secus vero si fuerit praecipua causa inductiva concessionis (1).

VI.

Clausulae Indultis adnexae sedulo expendendae atque observandae sunt.

---

(1) Ad discernendum an causa sit finalis vel impulsiva, praeter ea quae diximus in P. 1. Art. 2., haec etiam sunt prae oculis habenda: 1) Si impetrata fuit dispensatio in duobus impedimentis et duae allegatae causae sint, quarum una sufficiens pro primo, altera pro altero, utraque finalis erit. 2) Cum plures allegatae sunt causae quarum nulla sufficiens est, aut quae in unam coalescunt ita ut simul coniunctae vim habeant, nisi omnes sint verae, nulla erit dispensatio. 3) In dubio an causa falsa finalis sit vel non, si rationes quae suadent causam illam esse finalem praeponderent, petenda erit revalidatio.

VII.

Facultatibus pro foro conscientiae concessis uti nequit Ordinarius in foro externo, et vicissim.

VIII.

Episcopus cum solis suis dioecesanis, dispensandi facultate pollet. Dispensare poterit cum habentibus *verum*, vel *quasi* domicilium in sua dioecesi, vel cum vagis, non vero cum aliis.

IX.

Si in Indulto contrarium non exprimatur, uti eo poterit Episcopus etiam extra suam dioecesim existens, et licet subditus quem dispensat, extra illam sit. Si vero addatur, ut in formula 1ª S. Congr. de Propag. Fide « nec illis uti possit extra suae dioecesis fines » Episcopus exercere tantummodo illas poterit erga suos subditos, qui tempore quo dispensandi sunt in propria dioecesi commorantur, quamvis ipse extra illam degat. *Congr. S. O. fer. IV. 19 Ian. 1881.*

X.

Si cum impedimento sive dirimente sive impediente, in quo dispensare Episcopus potest, aliud concurrat, quod ad Apostolicam Sedem sit deferendum, nequit Episcopus hoc deferre ad S. Sedem et in priore illo dispensare, sed quoad utrumque caret dispensandi facultate.

XI.

Indultum generale dispensandi a certis impedimentis quamlibet personam et mandatum dispensandi nominatas personas subdelegari nequit, nisi id in Litteris Apostolicis enuncietur, quo in casu limites praescripti observandi sunt, quoad modum et qualitates requisitas in eo qui subdelegatur.

§ II. — *Iuris principia quoad amplitudinem facultatis in Indultis delegatae.*

I.

Facultas dispensandi ab impedimentis matrimonii per indultum delegata, utpote favorabilis, latae interpretationis est. Quapropter:

a) Indultum relaxandi impedimentum affinitatis, absque limitatione concessum, extenditur ad relaxandum tum quod oritur ex copula licita, tum quod ex illicita.

b) Indultum relaxandi impedimentum affinitatis ex copula coniugali, extenditur etiam ad impedimentum publicae honestatis quod cum illa necessario connexum est.

c) Facultas generaliter delegata dispensandi quoad aliquem consanguinitatis seu affinitatis gradum, extenditur ad gradum eumdem duplicatum, nempe ab utroque parente provenientem.

d) Episcopi qui facultate gaudent quinquennali dispensandi in tertio et quarto consaguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum et in secundo, tertio et quarto, non tamen in secundo solo quoad futura matrimonia, possunt dispensare in tertio et tertio, in quarto et quarto, in tertio mixto cum quarto, nec non in tertio et quarto cum secundo mixtis, sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipite. Cong. S. O. *feria III. loco IV. d. 15 Iunii 1875.*

II.

Quamvis facultas generatim dispensandi vigore indulti latae sit interpretationis, non est tamen extensivae, i. e. non extenditur a casu ad casum non comprehensum sub lata verborum significatione, neque interpretationem admittit ex qua sequeretur aliquod absurdum, vel quod aperte sit contra mentem delegantis. Quare potestas dispensandi generaliter alicui commissa stricte est interpretanda quoties specialis contra dispensationis concessionem ratio militat. Unde sequitur: *a)* Indultum dispensandi in aliquo gradu ad convalidanda matrimonia invalide contracta, non posse extendi ad matrimonia contrahenda, licet de eodem gradu agatur; *b)* Indultum dispensandi ab impedimento

publicae honestatis orto e sponsalibus, non posse extendi ad illud quod oritur ex matrimonio rato; *c)* Ab uno impedimenti genere fieri nequit extensio ad aliud, etiamsi agatur de impedimento impediente Apostolicae Sedi reservato. Ordinarius autem qui facultatem habet dispensandi ex. gr. in secundo gradu consanguinitatis, poterit dispensare cum idem gradus multiplex est seu proveniens a duobus vel pluribus stipitibus; *d)* Indultum dispensandi in gradibus simplicibus, nequit extendi ad gradus mixtos, nec ad casum quo plura adsint impedimenta. Quod etiam tenendum est, si concurrat gradus remotior; *e)* Indultum dispensandi ab impedimentis inter pauperes, non extenditur ad personas, quae vere pauperes non sunt.

III.

Quoties dispensatio vi indulti late accepti concessa, non tam dispensatio esset quam dissipatio, stricte est interpretanda. Hinc: potestas haec delegata *a)* nequit extendi ad casus in quibus legitima causa deest, aut praetermissa fuit inquisitio de causae veritate; neque *b)* ad casum in quo praevideatur ex concessione dispensationis scandala oritura.

IV.

Strictam quoque interpretationem indultum dispensandi postulat, cum ex lata interpretatione praeiudicium tertii sequeretur. Unde sequitur, in generali facultate delegata nunquam includi potestatem dispensandi ab impedimento ex sponsalibus proveniente.

§ III. — *Iuris principia de potestate delegata per mandatum ad dispensandum determinatas personas.*

Quamvis potestas relaxandi impedimenta matrimonii per se sit latae interpretationis, attamen dispensatio ipsa pro determinatis oratoribus concessa, semper stricti iuris est. Quare:

*a)* Dispensatio ab uno impedimenti genere nequit extendi ad aliud, sed restringitur ad casum de quo expresse fit mentio in litteris apostolicis. Nec militat in dispensationibus argumentum

a simili ad simile, neque a maiori ad minus, nisi cum minus in maiori includitur;

*b)* In eodem impedimenti genere dispensatio impetrata quoad certum gradum, nequit intelligi de gradu propinquiori, licet possit de remotiori;

*c)* Dispensatio in gradu simplici nequit a delegato extendi ad gradum duplicatum aut multiplicatum, ex. gr. ad duplicem consanguinitatem, affinitatem, publicam honestatem, cognationem spiritualem, idque a fortiori si impedimenta sint diversae speciei;

*d)* In eodem genere impedimenti, si diversa ratio militat, dispensatio impetrata in uno casu, extendi nequit ad alium; sic impetrata pro impedimento publicae honestatis orto e sponsalibus, extendi nequit ad idem impedimentum quod oritur ex matrimonio rato.

Advertendum tamen est, dispensationem semper extendi ad id quod inseparabiliter in ea comprehenditur. Sic dispensatio obtenta pro voto castitatis, comprehendit etiam votum non nubendi, quod cum illo nexum est.

## CAPUT II.

### De Materia dispensationis.

Dispensationis materia sunt impedimenta sive dirimentia matrimonium sive impedientia. Hoc in Capite agemus 1. de dirimentibus, ac deinde 2. de impedientibus et quidem de iis tantum quae Sedi Apostolicae sunt reservata.

#### § I. — *De impedimentis dirimentibus.*

Ex impedimentis dirimentibus alia sunt quae dispensari non possunt; alia quae etsi dispensari possent, nunquam tamen dispensantur; alia in quibus dispensari non solet; alia denique in quibus passim dispensatur. Ad primam classem pertinent impedimenta, quae ex iure divino vel ex iure naturae proficiscuntur. Huius generis impedimenta, sunt aetas usu rationis destituta, impotentia antecedens et perpetua, consanguinitas lineae rectae saltem in primo gradu, et generatim ea omnia quae ipsi matrimonii essentiae adversantur, ut vis, error, ligamen. Quamquam,

quod ad impedimentum ligaminis divino iure inductum spectat, ipsum hoc ius exceptionem statuit circa matrimonia rata et non consummata fidelium, quae vel invito altero coniuge tum solemni professione religiosa, tum Summi Pontificis auctoritate ob causam gravem sive publicam sive privatam, aliquando dissolvuntur. Idipsum contingit in matrimoniis infidelium consummatis, quorum alter ad fidem convertitur, alter vero nec converti vult, nec pacifice et sine contumelia creatoris cum converso habitare.

Secundam classem, impedimentorum eorum scilicet quae nunquam dispensantur, illa constituunt de quibus controvertitur an ex iure divino proveniant. Huiusmodi sunt primus consanguinitatis gradus lineae transversae et primus affinitatis gradus lineae rectae ex connubiali copula (1).

Ad tertiam classem, nempe impedimentorum in quibus non solet dispensari, pertinet clandestinitas saltem cum de matrimonio contrahendo agitur, impedimentum criminis utroque vel alterutro machinante, saltem quando machinatio publica est, nam quando est occulta, Maior Poenitentiarius dispensandi quidem potestatem habet, raro tamen et cum necessitas id requirit ratione gravis periculi imminentis a Benedicto xiv in *Constit.* « Pastor Bonus » *d. 13 April. 1744* dispensare iubetur. Raro item dispensatur impedimentum publicum primi gradus affinitatis lineae rectae ex copula illicita. Quoties autem venia ista conceditur, sollicite ad omnem aequivocationem amovendam opportunae adhiberi solent cautelae, quarum prima est, dari gratiam sub ea conditione, dummodo nimirum sponsa nata sit antequam sponsus cum matre sponsae rem habuerit. Altera vero cautela adhibetur in casu quo coniunctio illicita, unde orta est affinitas, putatur vulgo legitima, ut contingere solet ubi viget coniugium civile; tunc nempe si forte urgeat causa dispensandi in foro externo, adiicitur conditio ut ante dispensationis executionem opportune caveatur, ne in vulgo oriatur erronea persuasio dispensatum fuisse in impedimento primi gradus lineae rectae ex legitima coniunctione. Raro etiam conceditur dispensatio ab impedimento disparitatis cultus

(1) Missionarii Apostolici quibus per Indultum conceditur facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis iure divino non prohibitis, nullatenus dispensare possunt cum infideli ad fidem converso super impedimento primi gradus consanguinitatis lineae transversae, ut ducere possit germanam cum qua inierat sponsalia in infidelitate, neque enim praesumere licet Summos Pontifices auctoritatem delegasse, qua ipsi nunquam usi sunt.

fidelibus inter catholicos populos degentibus, facilius fidelibus constitutis inter barbaras gentes. Dispensationem ab impedimento ordinis sacri vel professionis solemnis si quando S. Sedes concessit, nunquam tamen nisi ex gravissima causa et publica, nec unquam episcopo, vix unquam presbytero.

Dispensari vero solent impedimenta ex remotioribus gradibus consanguinitatis et affinitatis quos supra indicavimus provenientia, in publica honestate, cognatione spirituali aut legali.

§ II. — *De Impedimentis impedientibus Apostolicae Sedi reservatis.*

Iuxta ea quae in I. Capite innuimus, impedimenta impedientia Summo Pontifici reservata sex enumerantur, videlicet: 1. Sponsalia cum altero inita, quaeque, eo invito, sine eiusdem iniuria remitti nequeunt; 2. impedimentum quod provenit ex voto simplici ingrediendi religionem, aut perpetuae castitatis; 3. impedimentum proveniens ex haeresi; 4. defectus legalis probationis circa statum liberum nupturientium; 5. interdictum pontificium, quod non sit decreto irritante munitum; 6. solemnitates nuptiales. De singulis his per summa capita heic colligemus quae scitu necessaria sunt, ut deinceps de solis dirimentibus agamus.

### De Sponsalibus.

Quod nemini Pontifice inferiori ius queat competere dispensandi in vinculo sponsalium, evincitur tum ex reservatione iisdem apposita, tum ex ipsa rei natura; agitur enim de auferendo iure alteri quaesito, quod nemo potest nisi supremus Princeps.

Ad hanc vero dispensationem consequendam causa gravis requiritur, et quidem gravissima si sponsalia fuerint iuramento firmata. Immo vix ulla causa sufficiens admittitur, nisi haec, quod ex gravissimis circumstantiis praevideatur, matrimonium contrahendum infaustum et graviorum malorum causam extiturum. Quod si propter odium dispensatio postuletur, non qualecumque odium probandum est, sed odium irreconciliabile.

Quoad hanc dispensationem prae oculis habendae sunt sequentes regulae.

I. Durante iudiciali actione super validitate sponsalium, oratores non audiuntur pro dispensatione obtinenda.

II. Dispensatio huiusmodi non conceditur, nisi prius ecclesiastica auctoritas hortationes ac minas adhibuerit erga reluctantem fidem servare, et monita interposuerit quoad aliam partem, ut iuri suo propter graviora damna sequutura renunciet.

III. Huiusmodi vero hortationes ac minae ad iuris tramites faciendae sunt; hinc prius monendus reluctans, dein compellendus etiam per censuras, a quibus tamen abstinendum, si graviora praevideantur mala.

IV. Quoad exsecutionem vero dispensationis notandum est, mandata ad dispensandum super sponsalibus pro executione ad Episcopum dirigi, qui ne suo quidem Vicario Generali subdelegare eam auctoritatem potest in iis, quae nudum ministerium respiciunt.

V. Delegato incumbit onus verificandi num hortationes et minae ad Iuris tramites expletae fuerint et an cesserint vanae, et quatenus speret, illis renovatis, renitentem induci posse ad fidem servandam, vel alteram partem ad renuntiandum suo iuri, opus est ut eas repetat, antequam dispensationem executioni mandet.

VI. Denique si in dispensationis litteris clausula inveniatur qua sponsus dotem mulieri ab Episcopo taxandam solvere obligetur, ea taxanda et solvenda est. antequam executioni detur dispensatio; secus irrita evaderet.

## De Voto.

Vota simplicia continentiae, vel religionis ingrediendae, vel non nubendi, ac iuramenta illis addita, matrimonium impediunt etiamsi sub conditione fuerint emissa. Haec vero per se vim dirimendi non habent, quia ad hoc requiritur ut accedat Ecclesiae constitutio. *Cap. Unic. De Voto in VI.*

Constitutio vero Ecclesiae extat pro duobus tantum votis simplicibus, quae sunt: 1. Vota simplicia post biennium probationis emissa in Soc. Iesu iuxta Greg. XIII Const. « Ascendente Domino » 8. kal. Iunii a. 1584; 2. Votum emissum ab uxore qua consentiente vir ad ordines sacros promotus est, cuius vi si marito supervixerit, inhabilis est ad novas ineundas nuptias. (*Canon Feriatim Dist. 32.* Benedictus XIV *Quaest. Can.* 391.)

Iamvero solum Romanum Pontificem dispensare posse vota quae dirimunt matrimonium in duobus praedictis casibus, satis

est apertum (1). Ex Constitutione tamen superius allegata Gregorii XIII, vota simplicia in Societate Iesu nuncupata cessant etiam per legitimam dimissionem datam a Praeposito Generali eiusdem Societatis. Quoad vota simplicia non reservata, potest R. Pontifex super iis dispensare in omnibus fidelibus, Episcopi vero et Praelati inferiores iurisdictionem quasi episcopalem habentes, in suis tantum subditis. Quoad alia vero reservata, ita haec auctoritas ad solum Romanum Pontificem pertinet, ut nunquam censeatur indulta, nisi expressa et specialis de illis mentio fiat.

Non erit abs re heic notare, quod reservatio afficit vota tantum in suo esse perfecta: unde consequitur posse Episcopos super hoc impedimento dispensare 1. cum oritur ex votis non nubendi aut castitatem servandi ad tempus: 2. quando oritur ex voto suscipiendi ordines sacros, quia adhuc non est votum castitatis: 3. quando oritur ex voto emittendi castitatis votum post aliquod tempus: 4. quando oritur ex voto quo disiunctive promittitur ingressus in religionem approbatam, vel susceptio ordinis sacri: 5. quando oritur ex voto ingrediendi religionem non approbatam: 6. quando oritur ex voto quod gravi metu iniuste incusso extortum fuerit: 7. saltem probabilius quando oritur ex voto cuius obligatio pendet ex futuro conditionis eventu, et licet conditio verificata fuerit.

Antequam vero enumeremus causas ob quas dispensatio in voto conceditur, nonnulla praemittere generalia principia operae pretium est, scilicet:

I. Gravior causa requiritur pro dispensatione quando agitur de mera dispensatione, quam cum agitur de commutatione.

II. Gravior causa exigitur in commutatione dispensationi admixta, quam in simplici commutatione.

III. Quoties simul concurrunt vincula voti et iuramenti, maior causa exigitur ad dispensandum super utroque, quam super alterutro. Secus vero sentiendum, si de commutatione agatur; per hanc enim neutrum vinculum tollitur.

IV. Cum raro inveniatur in praxi causa tam gravis ut suf-

---

(1) In casu urgentis necessitatis potest Episcopus iuxta doctrinam communem in matrimonio contrahendo in foro conscientiae et cum agitur de voto *reservato occulto* et *privatim* emisso, quasi potestate ordinaria dispensare, seu potius illud commutare. Et idem facere in matrimonio contracto quoad votum ante matrimonium ipsum emissum.

ficiens censeatur ad dispensationem meram, ut plurimum ea non conceditur nisi mixta cum commutatione.

His praestitutis, causae pro dispensatione ab auctoribus traduntur. 1. Si ob mutationem materiae voti, prudenti iudicio dubitetur an illud evaserit inutile, vel malum, vel maius bonum impediens. 2. Si vovens dubitet num vovendo animum habuerit se obligandi, vel an votum reapse obliget ratione debitae materiae. S. Th. 2. 2. *q. 99, art. 9.* 3. Si votum leviter et sine matura consideratione emissum fuit. 4. Si ex metu etiam levi iniuste incusso extortum, vel dolo obtentum fuit. 5. Error circa causam impulsivam voti, aut si haec causa cessavit. 6. Incontinentiae periculum. 7. Maxima difficultas implendi votum ex fragilitate orta voventis. 8. Difficultas gravis adimplendi votum quae praevideri non potuit et quae talis non est, ut obligationem extinguat. 9. Si bellum civile sedari nequeat nisi puella voto obstricta cum certo viro matrimonium contrahat. 10. Conservatio progeniei nobilissimi ducatus. 11. Compositio pecuniaria ad pias causas.

Ad deprehendendum vero ad quos effectus dispensatio in voto simplici concessa porrigatur, iuverit prae oculis habere sequentes regulas:

I. Dispensatio in voto religionis ingrediendae ad finem nubendi, non extenditur ad casum quo vovens vellet manere in saeculo absque coniugio et vicissim.

II. Dispensatio in voto simplici castitatis ad effectum nubendi, ad primum tantum matrimonium limitata est. Benedictus XIV Const. « Convocatis *d. 7. Kalen. Dec. 1749.*

III. Dispensatio in voto castitatis ad unicum matrimonium, non extinguitur coniugio *bona fide* invalide inito, aut quomodolibet ante consummationem soluto.

IV. Dispensatio in voto simplici castitatis ad contrahendum cum determinata persona ex causa quae afficit utrumque contrahentem, non extenditur ultra matrimonium inter dictos oratores.

V. Dispensatio ad licite petendum debitum coniugale concessa voventi coniugato, non extenditur ad alios voti effectus.

VI. Dispensatio ab impedimento orto ex voto, non extenditur ad idem votum iuramento firmatum.

## De Impedimento mixtae religionis.

Auctoritas dispensandi in impedimento mixtae religionis ita reservata est Romano Pontifici, ut neque ex consuetudine, neque ex extraordinaria necessitate Episcopis aliisque Praelatis inferioribus competat. Iamvero dispensationem ab hoc impedimento Apostolica Sedes nunquam indulget, nisi sub his conditionibus: 1) ut absit pro parte catholica perversionis periculum, quin imo ut sciat catholicus teneri se ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum. 2) Ut liberi utriusque sexus ex matrimonio nasciturі in catholica religione educandi sint. 3) Ut adsit gravis causa. In supplici libello exponendum est an partes iis conditionibus satisfacturae sint. Porro causae legitimae ad hanc dispensationem consequendam sunt. 1) Bonum reipublicae christianae. 2) Si in aliqua regione catholici sunt pauci et simul tuti ac liberi ad fidem profitendam, heterodoxi autem plurimi. 3) Promissio ab haeretico facta in scriptis vel coram testibus et iuramento firmata amplectendi catholicam fidem post nuptias (1).

Postquam dispensatio fuit obtenta, parochus licite mixto coniugio assistere potest, prout declaravit (2) S. C. Inquisitionis die 20 Decembris 1838.

Attamen haec adsistentia passiva esse debet, seu sola praesentia cum testibus, extra locum sacrum, (talis tamen per se non est sacristia), absque indumentis sacris et ritu sacro, absque proclamationibus (3), et sine benedictione *(Instructio Pii IX.*

---

(1) Indultum dispensandi in mixta religione nunquam extenditur ad Italos quos non constat italicum domicilium deseruisse.

(2) Si catholicus pergit ad contrahendum matrimonium extra dioecesim, potest dispensari iustis accedentibus causis super impedimento mixtae religionis ab Episcopo hanc facultatem habente, cuius nupturientes subditi evaserunt ob domicilium vel quasi domicilium in eius dioecesi adquisitum, *dummodo in eadem dioecesi actu existant quando* dispensationem recipiunt: dispensatio autem ita obtenta executioni tradi potest ubicumque mixta connubia contrahi permittitur, nisi aliquid aliud obstet iudicio Ordinarii loci, in quo contrahitur matrimonium, secus pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum est. S. O. Fer. IV. 22 Nov. 1865. in Rescr. ad Episcopum Southwarcensem.

(3) Congr. Gen. Prop. Fid. *die 11 Maii 1871.* declaravit, proclamationes quae in matrimoniis praemittuntur non fieri in mixtis connubiis, nisi quando necessariae et opportunae videantur iudicio Ordinarii pro detegendis impedimentis et omissa mentione religionis eorum qui nuptias sint contracturi.

*an. 1858.)* solemni vel simplici, quae continetur verbis *Ego vos coniungo* (C. S. O. *Rescript. d. 24. Nov. a. 1835).* Quod si in aliquibus locis (ut habetur in praefata Instr. Pii IX) sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse quin graviora exinde oriantur damna ac mala, eorumdem Antistitum arbitrio committitur, ut ipsi salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis, tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione ac diligentissime perpensis omnium rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Cum autem in nonnullis locis haec Instructio rite intellecta non fuisset et ad nimiam traheretur indulgentiam, perinde ac si per eam derogatum fuisset principiis, quae S. Sedes circa matrimonia mixta semper tenuit, Sacra Congregatio de Prop. Fide *anno 1868* aliam *Instructionem* edidit in qua ostenditur, instructionem anno 1858 editam nihil statuisse, quod placitis ac regulis a Sede Apostolica circa hanc materiam iugiter servatis non plane consentiat. Atque hisce ipsis principiis denuo inculcatis, S. Congregatio subiungit: « quod si in memorata Instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum aliquando tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur ac sub conditione *ut omnia rerum, locorum ac personarum adiuncta diligentissime perpendantur atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Apostolica circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur. »

### De interdicto Pontificio.

Interdictum a Pontifice latum si munitum sit clausula irritante est impedimentum dirimens, secus impediens tantum; in utroque vero casu uni Pontifici potestas ab eo dispensandi reservata est.

Ab interdicto Summi Pontificis differt interdictum Episcopi 1) quiahoc nun quam secum fert nullitatem nuptiarum; 2) quia

primum est semper impedimentum canonicum, quod dispensatione indiget, non vero alterum quippe quod cessat per declarationem Ordinarii, servata forma iudiciali vel extraiudiciali, prout iudicialiter an secus lata fuerit inhibitio.

Pro praxi notandum est, interdictum iudiciale ferri debere iuris ordine servato. Extraiudiciale vero si feratur ad inhibendum matrimonium contrahendum, sufficit ut innitatur probabili coniecturae existentiae impedimenti, si vero feratur ad vetandum matrimonii iam initi usum, requirit plenam probationem impedimenti.

### De Dispensatione in defectu legalis probationis de statu libero.

Potestas concedendi ut defectus legalis probationis de statu libero suppleatur per iuramentum deferendum nupturienti, uni Apostolicae Sedi est reservata. Mens autem S. Sedis est ut praedicta facultas in casibus tantum necessitatis adhibeatur, comminatis qualibet vice poenis in polygamos inflictis.

Viduis quae legalem probationem de obitu coniugis nequeunt exhibere, non potest iuramentum deferri suppletorium, nisi in casu, quo accedente publica fama aliisque indiciis, de coniugis obitu probabilis praesumptio habeatur. Ceterum circa modum procedendi ad probandam mortem coniugis cf. in Appendice C. S. O. Instructionem.

### Solemnitates nuptiales.

Episcopus nequit dispensare Feriarum tempore super solemni traductione sponsae aliisque solemnitatibus, quae ita sanctitati repugnant sacrati temporis, ut nunquam sufficiens causa possit allegari ad illas permittendas. Cf. Bened. XIV. *Inst. 80.* Tantum disputatum fuit, an possit Episcopus dispensare circa solemnem benedictionem nuptialem. At in causa Montis Albani 14 Aug. 1858 dubio proposito « An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a Sac. Conc. Trid. vetitis censeatur permissa benedictio coniugum per preces et orationes in missa pro sponsis contentas? Et quatenus negative an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere? » responsum fuit a S. R. Congr. *Negative in omnibus.* Cf. etiam S. R. Congr. in Limburgen. 23 Iunii 1853 ad 3$^{m}$, Imolen. 26 Martii 1859.

## CAPUT III.

### Quae sint iustae causae dispensationis in impedimentis dirimentibus.

I. Cum dispensatio sit iuris communis derogatio cum causae cognitione ab eo facta qui habet potestatem, dispensationes ab impedimentis matrimonialibus indulgendae non sunt, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo tanto gravior causa requiritur, quanto gravius est impedimentum quod nuptiis celebrandis opponitur.

At priusquam praecipuas causas indicemus quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium pro sufficientibus haberi consueverunt, operae pretium est animadvertere 1) unam aliquando causam, seorsim acceptam insufficientem, alterius accessione sufficientem fieri posse. 2) Quamvis superior vel sine iusta causa possit dispensare, non praesumitur tamen ita agere. 3) Inferior qui sive delegata facultate, sive quasi ordinaria sine iusta causa dispensat, invalide dispensat. Ceterum causae dispensandi aliae finales sunt, aliae impulsivae (1). His praemissis ad varias causas exponendas veniamus.

II. Prima causa est *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis cui nubat invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem. Ea vero loca censentur angusta in quibus focorum numerus non excedit tercentum, vel inhabitantes non sunt ultra 1500, quod declaravit Pius PP. IX in epist. circul. Emi Card. Spinola Pro-Datarii d. 30 Aug. a. 1847.

Secunda causa est *Aetas foeminae superadulta* si scilicet 24$^{m}$ aetatis annum iam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenerit. Haec tamen causa non suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat. Quamvis autem oratrix ex alio loco virum paris conditionis habere olim potuerit vel nunc possit, hanc nihilominus causam allegare non prohibetur. Haec causa, ut ait Corradus, passim admittitur ad

(1) Cf. ea quae exposuimus in P. I. Cap. 2, Art. 2.

obtinendam dispensationem in quibuscumque gradibus, haud tamen sola sufficit in gradibus propinquioribus, puta secundo, seu primo et secundo; eo magis autem admittitur quo provectior fuerit oratrix supra aetatem ad contrahendum matrimonium requisitam.

Tertia causa est *Defectus* aut *incongruentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in loco ubi commoratur. Quae causa magis urget si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam ducere, aut etiam convenienter dotare paratus sit (1). Causa haec quatuor diversis modis se habere potest. Horum primus est qui dicitur *propter incongruentiam dotis*, qua non obstante, affinis seu consanguineus paratus est oratricem ducere. Secundus est qui dicitur *propter dotem cum augmento*, quando nempe sive ipse orator sive alius vult augere dotem insufficientem. Tertius modus est *pro indotata*, quando nempe Oratrix nullam habet dotem et orator eam ex integro dotare est paratus. Quartus modus est *propter dotem litibus involutam* etsi per se convenientem, vel *propter lites de successione bonorum*. Iuxta Pyr. Corradum, De Iustis et Giovine aliosque hanc ob causam primo vel quarto modo se habentem, dispensari non solet nisi in gradu quarto, sive aequali sive mixto cum tertio. Secundus vero vel tertius modus admittitur etiam pro gradu tertio, sive aequali sive mixto cum secundo consanguinitatis aut affinitatis, pro primo honestatis publicae, pro impedimento compaternitatis. Tertius denique modus admittitur etiam in secundo, aequali vel mixto cum primo, praesertim pro nobilibus. Cf. cl. Feije *De imp. et disp. matrim. Cap. XXXI.* § *2*. Si autem mulier quae dotem insufficientem habet, dolose affirmaverit se prorsus esse sine dote, dispensatio invalida est, secus si absque dolo id affirmaverit.

Quarta causa est *Paupertas viduae* quae numerosa prole sit onerata quaeque ab homine eam nupturo sustentationis promissionem acceperit. Sed quandoque dispensationis ope succurritur viduae, ea tantum de causa quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

---

(1) Spes habendi dotem ex. gr. ex promissione vel ex institutione testamentaria quae expectatur ab aliis, quam a propriis genitoribus, non impedit istius causae sufficientiam, impediret tamen pactum lege validum. Cf. Giovine *Tom. 2, p. 213.*

Quinta causa est *Bonum pacis.* Hoc nomine veniunt nedum foedera inter regna et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Causa haec adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

Sexta causa est *nimia suspecta periculosa familiaritas* nec non *cohabitatio sub eodem tecto* quae facile impediri non possit.

Septima causa est *Copula cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita* quam causam auget consequens *praegnatio* ac necessaria proinde *legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, antea si copula patrata fuisset spe obtinendae dispensationis, haec circumstantia in libello supplici exprimenda erat. Copula inter oratores habita talis intelligitur, quae vel sit nota vel proxime divulganda. Ubi porro copula non sit publice nota, nec divulganda praevideatur, dispensatio interdum obtineri potest propter ulteriora pericula incontinentiae.

Octava causa est *infamia mulieris* e suspicione orta quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

Nona causa est *Revalidatio matrimonii* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum sit, quando eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno praesertim foeminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess. XXIV Cap. V* de Reform. Matr. In praesens facilius quam olim dispensatio impetratur mutatis temporum adiunctis, praesertim prole iam nata et civili matrimonio contracto. Hinc exprimi debet utrum uterque an alteruter tantum egerit bona fide, seu impedimentum ignoraverit. Bona autem fides hic acci-

pitur pro probabili credulitate vel ignorantia iuris aut facti, dolum excludente. Cf. cl. Feije *De imped. et disp. matrim. Cap. XXXI, § 12.* Addendum etiam est utrum mala fide contrahens id egerit spe facilius dispensationem obtinendi.

Decima causa est *Periculum matrimonii mixti* vel *periculum coram acatholico ministro illud celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium contrahere, obstante aliquo etiam ex maioribus gradibus, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide quoad eos qui se ita gerunt, maxime in regionibus ubi haereses impune grassantur. Ita Sac. Congr. de Prop. Fide in *Instr. d. 17. Aprilis a. 1820* ad Archiep. Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram iudice infideli coniugium fore inituros, Cong. S. Officii *(Fer. IV. d. 34. Aug. a. 1822)* decrevit respondendum Oratori, ut in exposito casu utatur facultatibus sibi in form. II. commissis, prout in Domino expedire iudicaverit. Tantumdem dicendum de periculo ne pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

Undecima causa est *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata Instr. an. 1822 elucet dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

Duodecima est *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat civile, ut aiunt, celebraturi sint, esse etiam legitimam dispensandi causam.

Decimatertia causa est *Remotio gravium scandalorum.*

Decimaquarta *Cessatio publici concubinatus.*

Decimaquinta *Excellentia meritorum* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de religione sit optime meritus.

Quandoque in litteris dispensationum causa generalibus verbis significatur et dicitur « *Ex certis et rationabilibus causis.* » Cum nempe oratores ex honesta familia vel nobiles, sine alle-

gatione alicuius certae causae, petunt dispensationem allegando causam vel causas in genere et rogando ut summus Pontifex ipsos dispenset *certis ex causis animum eorum moventibus* ita tamen ut maiorem *componendam* seu taxam pecuniariam solvendam eis imponat, quae dein ad pios usus impenditur.

Hae sunt communiores potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci debent non modo cum ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurritur, sed etiam cum ad eos recursus fit, quî ex pontificia delegatione dispensare valent. Possunt tamen et aliae allegari causae vel motiva ex. gr. deformitas, infirmitas, paupertas, periculum seductionis oratricis, quae quidem vel unitae sufficiunt. vel alias causas communiunt.

## CAPUT IV.

### De ratione petendi dispensationes matrimonales.

Materiam hanc in duas §§ distribuemus. In prima breviter exponemus notiones aliquas generales, quas prae oculis habere debent qui ad S. Sedem pro obtinenda dispensatione recurrunt. In altera indicabimus ea quae, praeter causas, in supplicibus litteris pro dispensatione ipsa consequenda, de iure, vel consuetudine, vel stylo Curiae exprimenda sunt.

§ I. — *Notiones praeliminares prae oculis habendae ab iis qui pro impetrandis dispensationibus matrimonialibus recurrunt.*

1. Ordinarium tribunal pro dispensationibus concedendis in *foro externo*, seu cum agitur de impedimento actu publico, vel mox futuro publico, vel natura sua publico, cuiusmodi est consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis et publica honestas, esse solam apostolicam Datariam supra diximus. Ad S. Poenitentiariâm recurritur pro dispensatione *in foro conscientiae*, seu quando impedimentum est occultum, reticitis sub

litera N. oratorum nominibus, vel fictis adhibitis (1). Et haec est originaria et nativa S. Poenitentiariae potestas. At ex re-recentiori Pontificis Maximi mandato idem tribunal, vice Datariae apostolicae, dispensat etiam pro *foro externo* in plerisque impedimentis publicis, non tamen cum quibuslibet, sed cum pauperibus tantum, quorum veram paupertatem Ordinarius authentice attestetur. Potest item ad S. Poenitentiariam recurri in extraordinariis quibusdam casibus, qui ad Datariam pertinerent, quo in casu necesse est 1) ut Ordinarius peculiares rationes adeundi S. Poenitentiariam accurate exponat in suis litteris testimonialibus seu commendatitiis, quibus perpensis, Maior Poenitentiarius vel ipse dispensationem concedit, si opportuna facultate est praeditus, vel extraordinarie eam implorat a Summo Pontifice in audientia consueta. Huiusmodi causae sunt: *a)* Si ad removenda scandala necessarium sit ut vir ducat consanguineam vel affinem pauperem, quam defloravit, et quamvis vir pauper non sit, tamen dispensationem a Dataria implorare nolit, ne obligetur *componendam* vel taxam solvere. Verum non est id fieri posse tempore vacationum apostolicae Datariae ne gravia probabiliter sequantur mala. *b)* Si licet impedimentum sit occultum, necessaria tamen sit dispensatio pro foro quoque externo (cum maxima utique cautela petenda et exequenda) ad gravissima praecavenda mala, quae enascerentur si forte impedimentum temporis lapsu detegeretur et in foro externo probari non posset matrimonii validitas. Necessarium 2) est ut Ordinarius propriam oratorum conditionem exponat, et quantum componendae expendere valeant, si agatur de incestuosis in primo et secundo gradu, ut sarçta tectaque maneant iura Datariae apostolicae in cuius capsam id remittitur.

2. Si duo vel plura concurrunt impedimenta, quorum unum publicum est, alterum vero occultum, quod sine infamia manifestari nequit, fas est oratori petere dispensationem a Dataria pro foro externo super publico impedimento, tacito occulto, et petere dispensationem super occulto a S. Poenitentiaria. Quo tamen in

(1) Excepto nomine et cognomine nec non patria ac dioecesi oratorum, cetera omnia quae exprimi debent in supplici libello ad impetrandam dispensationem pro utroque foro, exprimenda sunt etiam in supplici libello S. Poenitentiariae oblato, ad obtinendam dispensationem in foro tantum conscientiae. Ut vero litterae concessionis S. Poenitentiariae ad oratores perveniant, necesse est exprimere in supplici libello nomen et cognomen Parochi vel Confessarii cui responsum dari debet, nec non dioecesis et loci in quo ipse degit.

casu adest obligatio manifestandi S. Poenitentiariae nedum occultum, sed et publicum eiusque dispensationem fuisse obtentam (1).

3. Dispensationes expediuntur a Dataria apostolica vel in *forma nobilium*, vel *in forma communi* seu *ordinaria*, vel in *forma pauperum*. Dispensationem in forma pauperum illi solum consequuntur qui pauperes sunt. Qui autem fere pauperes, praeter taxam consuetam pro vere pauperibus, aliam componendam titulo eleemosynae solvere tenentur. Dicuntur autem vere pauperes et miserabiles, qui labore manuum et industria tantum sua vivunt. Immo et illi pauperes censentur, qui praeter fructum propriae industriae et laboris, bona etiam possident aut pecuniam ex quorum fructibus per unum alterumve mensem vivere possent. Quod si plus possident, non tamen ultra mille scutata auri de camera, fere pauperes habentur.

Sacra Poenitentiaria dispensationes pro foro interno gratis sub quocumque titulo concedit, quas vero pauperibus pro foro externo impertit, modo deposita modica taxa pro iuribus Datariae, modo gratis omnino, si scilicet Oratores ita pauperes sunt ut nihil omnino solvere queant. Non sufficit autem ut alteruter sit pauper vel fere pauper, sed requiritur ut talis sit uterque, et summae computantur simul consideratis utriusque partis facultatibus, excepto casu mixtae religionis, in quo fortunae acatholici nulla ratio habetur. Consideratur autem capitale liquide possessum, non aere alieno gravatum vel hypothecae subiectum. Ceterum de paupertate ex Ordinarii attestatione constare debet, in qua aestimanda tum personarum, tum locorum, tum temporis ratio habenda est; nam nobilis erit pauper in eo, in quo rusticus est dives. Quare consultum est, ut in petitione dispensationis status rei familiaris oratorum simpliciter exprimatur, relinquendo iudicio curiae romanae de paupertate oratorum decernere. Hic vero non est praetereundum quod dispensatio obtenta a Dataria cum falsa allegatione paupertatis non est invalida. Quoad vero dispensationes ita a S. Poenitentiaria obtentas propositum fuit dubium S. Cong. Conc.: « an validae sint matrimoniales dispensa-

---

(1) Quando dispensatio in *foro externo* fuit concessa ab Episcopo recurri potest pro dispensatione in *foro* conscientiae sive ad Episcopum, sive ad S. Poenitentiariam. Non potest vero recurri ad Episcopum pro dispensatione in *foro conscientiae* quando S. Sedes dispensavit in *foro externo*.

tiones pro pauperibus a S. Poenitentiaria in foro externo concessae, quando paupertas falso allegata fuerit », ad quod S. C. die 28 Iun. 1873 respondere censuit: Nihil esse innovandum. Sunt autem Doctores qui opinantur eas irritas esse ex facultatis defectu in Maiori Poenitentiario, cum ei facultas pro foro externo dispensandi a Summo Pontifice non sit concessa nisi pro determinata classe personarum, cum quibus solis dispensare potest.

4. Notandum postremo est sub poena nullitatis esse vetitum post aditam unam Congregationem pro dispensatione obtinenda, aliam adire, quod etiam locum habet etsi Romanus Pontifex ignorans oratores ad unam Congregationem recurrisse, ad aliam Congregationem negotium remitteret. Negatae tamen dispensationis mentio non requiritur si ea ab eodem superiore fuerit negata. Neque necesse est memorare apud S. Sedem repulsam habitam ab Ordinario. At dispensatione negata ab Apostolica Sede, fas non est, eadem allegata causa, dispensationem petere ab Ordinario, etiamsi huius repulsae fiat mentio in supplici libello. Cf. Giovine *Tom. 2, p. 21.*

5. Quod attinet ad existentiam causae pro validitate dispensationis, animadvertendum est, quod si agatur de dispensatione in *forma gratiosa*, dispensatio erit valida si causa exposita vera exstiterit actu concessionis et expeditionis, licet ea falsa fuerit tempore quo Oratores supplicarunt esset autem irrita si causa non erat vera actu pontificiae concessionis, etiamsi ante vera exstiterit, vel post concessionem vera evaserit. Quod si dispensatio fuerit expedita in *forma commissaria*, erit valida si causa allegata et in litteris expressa vera fuit tempore quo delegatus actu dispensat, quamvis antea vera non extiterit. Demum si causa motiva tempore currente a die quo oratores dispensati sunt usque ad matrimonii celebrationem deficiat in toto vel in parte, adhuc valida dispensatio censetur. Cf. Sanchez *de Matr. D. XXX, n. 8;* Gury *ed. Ballerini, de matrim. n. 868.*

§. II. — *De iis quae exprimenda sunt in supplici libello ad impetrandam dispensationem in foro externo.*

Matrimonii dispensationes nemini conceduntur qui supplices litteras non exhibuerit (1) Ordinarii testimonio munitas, in quibus

(1) Nulla specialis forma determinata existit qua exarari debeat supplex libellus ad dispensationem obtinendam. Consuetum tamen est ut fiat initium

exprimenda sunt ea quae de iure, vel consuetudine, vel stylo curiae exprimi debent, ita ut si horum aliquid etiam ignoranter omittatur, dispensatio sua vi destituatur. Sanchez *L. 8, D. 21;* De Iustis *de disp. matr. L. 1, Cap. 4.*

Exprimenda igitur sunt:

1. *Nomen et cognomen oratorum* utrumque distincte ac nitide et sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. Quamvis vero error in nomine et cognomine de iure non vitiet rescriptum, si persona cui refertur satis sit determinata, ad praecavendas tamen fraudes praxis invaluit, ut error hic dicatur rescriptum vitiare. Nec locus est correctioni erroris, sed de novo fieri debet libellus supplex. Illud tamen notandum, quod error consistens in mutatione alicuius literae vel syllabae non invalidat dispensationem, quae etiam non invalidatur si quis duo nomina habens, unum tantum exprimeret.

Locum originis vel domicilii necessarium non est exprimere, excepto casu, quo dispensatio postuletur ob angustiam loci vel locorum (originis et domicilii oratricis). Non requiritur pariter aetatis indicatio, nec familiae qualitas, excepto similiter casu, quo haec causam petendi dispensationem constituant. Expedit tamen ut personae qualitas exprimatur.

2. *Dioecesis originis vel actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt si velint petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis in qua habitant. Quod si oratores diversarum dioecesium sint, non sufficit alterutrius dioecesim enuntiare, sed utriusque dioecesis nomen exprimi debet. Porro error in nomine dioecesis invalidat dispensationem, eo quod tunc nullus Ordinarius exequi litteras posset; non proprius oratorum, quia eidem commissio data non fuit, nec ille cui per errorem data est, quia est contra intentionem dantis, qui nonnisi Ordinarium impetrantium delegare intendit iuxta Concil. Trident. *Sess. 22, Cap. 5.*

3. Praeter dispensationis causas debet exprimi species etiam infima impedimenti; si enim unum pro altero ponatur, non valet

---

exprimendo nomen et cognomen utriusque oratoris et dioecesis. Dein subiungitur dispensandi causa et desiderium matrimonium incundi, exinde exprimitur ipsum impedimentum et fit petitio pro dispensatione. Notandum vero est circa expressionem causae et impedimenti, quod si ob praecedentem copulam, vel iam contractum matrimonium petatur dispensatio, tunc impedimentum ponitur ante causam. Reiffenstuel *in App. n. 237.*

dispensatio, quamvis bona fide id fuerit factum. Exprimi praeterea debent gradus, numerus et variae circumstantiae impedimentorum. Quare in impedimento consanguinitatis exprimi debet *a)* gradus et linea, quae si omittatur semper intelligitur transversalis. Si propinquior gradus exprimatur loco remotioris, dispensatio non vitiatur, si vero remotior pro propinquiori, irrita evadit. Exprimi debet *b)* modus consanguinitatis, ad quem duo pertinent, nempe exprimendum est si simplex vel multiplex sit consanguinitatis vinculum, tam ex parte patris, quam ex parte matris. Praeterea si oratores in gradu inaequali, puta in tertio et quarto, a communi stipite distent, uterque gradus propinquior et remotior exprimi debet ad hoc, ut quoties gradus proximior est primus, dispensetur super utroque gradu remotiori et proximiori, quoties autem est ex gradibus primo inferioribus, dispensetur super remotiori et declaretur valere concessionem, non obstante propinquiori, ut statuit expresse *Constit.* S. Pii V, quae incipit Sanctissimus *d. 26 Aug. 1566.* Notandum tamen, quando gradus proximior est primus et reticetur, prorsus irritam esse concessionem, sive id fiat mala, sive bona fide. Quando vero est infra primum, executioni nequit demandari dispensatio, nisi prius impetrentur litterae declaratoriae, secus delegatus illicite agit. Insuper si cum secundo vel tertio gradu concurrat primus, non sufficit affirmare quod oratores in eiusmodi gradibus sint coniuncti, sed adiici quoque debet provenientia. Hodie non adiicienda est in precibus incestuosa copula si forte intercesserit, prout infra dicemus.

In impedimento affinitatis exprimi debent *a)* praecisi gradus; *b)* linea, si nempe oratores affines sint in linea recta vel transversa; *c)* an proveniat ex copula licita vel illicita, (etenim affinitas orta ex copula coniugali fortius vinculum est, quam affinitas orta ex copula illicita), idque exprimi debet ad valorem, si agatur de dispensatione in primo aut secundo gradu affinitatis; *d)* an cum pluribus eiusdem sponsi vel sponsae consanguineis habita sit copula; *e)* quoties affinitas enascitur ex copula illicita in primo simplici, aut primo cum secundo gradu, erit quoque notanda provenientia, ex. gr.: Oratores affines sunt in primo gradu lineae rectae ex eo quod orator matrem (vel filiam) oratricis adhuc viventem (vel defunctam) carnaliter cognoverit; vel quod oratrix ab oratoris patre (vel filio) adhuc superstite (vel defuncto) carnaliter fuit cognita etc. *f)* Denique aperiendum est si

inter ipsos sponsos intercesserit copula et an cum intentione facilius impetrandi dispensationem. In casibus duplicis affinitatis nempe ex licita et illicita cum eadem persona non requiritur mentio antematrimonialis copulae (S. Poenit. *29 Martii 1842*, et *10 Dec. 1874*).

In precibus ad impetrandam dispensationem ab impedimento publicae honestatis exprimi debet *a)* num ea ex sponsalibus vel ex matrimonio rato enascatur, saltem in primo gradu; *b)* exprimi debet linea; *c)* si oriatur ex matrimonio rato, debent indicari gradus et *d)* multiplicitas. Pro publica vero honestate orta ex sponsalibus exprimi debet apud Datariam soluta esse sponsalia et utrum per mortem an mutuo consensu id evenerit.

In cognatione spirituali exprimi debet *a)* utrum paternitas vel maternitas sit, an compaternitas et commaternitas; *b)* utrum ex baptismo sit an ex confirmatione, hoc tamen non requiritur ad validitatem; *c)* cognationis multiplicitas, quae locum habet, ubi quis alicuius prolem tum e sacro fonte suscepit, tum e sacramento confirmationis, vel ubi quis eiusdem personae sobolem unam suscepit e baptismo, alteram e confirmatione, vel si alter alterius liberos vicissim suscepit ex baptismo aut e confirmatione. Notandum vero est multiplicitatem non haberi ubi quis plures eiusdem personae filios e sacro fonte aut in confirmatione parentum loco suscepit, quia agitur de eodem sacramento et de iisdem personis.

In supplici libello pro impedimento criminis relaxando exprimendum est *a)* non modo genus sed etiam species illius, scilicet, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii. *b)* Quod si ex utroque simul crimine natum sit, hoc quoque aperiendum est. Et si alias idem crimen alteruter patraverit et dispensatione super eo obtenta nuptias contraxerit, utriusque criminis nec non prioris dispensationis obtentae mentio fieri debet iuxta multos Doctores.

Quoad raptum exprimendum est omne id quo hoc impedimentum constituitur. Nimirum raptus est matrimonii impedimentum cum quis mulierem de loco in locum moraliter diversum reipsa sive vi, sive insidiis, vel dolosis sollicitationibus abduxit, eamque sub sua potestate ad nuptias ineundas detinet, non vero si ad alios fines eam abduxit. Subsistit hoc impedimentum etiamsi mulier ab initio vi abducta, postea consenserit in matrimonium, et etiamsi mulier corrupta vel meretrix sit. Raptus

vero qui cum alio impedimento concurrit aperiendus est, etsi mulier loco tuto fuerit restituta.

4. Ad haec, nonnullae aliae circumstantiae quae impedimenta respiciunt a quibus dispensatio imploratur, fideliter exponendae sunt. Eiusmodi sunt, an matrimonium contractum, fuerit initum bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti, item an praemissis denuntiationibus et iuxta formam Tridentini fuerit celebratum, an consummatum.

In primis olim aperienda erat copula incestuosa a sponsis ante dispensationis executionem (sive ante, sive post eiusdem impetrationem) habita, etsi occulta fuisset, nec non consilium seu intentio facilius consequendi dispensationem, qua eamdem copulam forte patrassent. Quare si vel copula vel occulta et malitiosa intentio in ipsa copula facilius obtinendi dispensationem, fuissent (malitiose aut ignoranter) in precibus reticitae, dispensatio a Sede Apostolica vel etiam ex pontificia delegatione super quibuslibet gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis concessa, subreptitia erat et omnino invalida, prout declaraverat Congregatio S. O. d. 1 Aug. 1866. Non erat tamen invalida dispensatio, si copula in precibus expressa, post missas preces iterata fuisset, nisi id contigisset ante dispensationis executionem, tempore separationis vi literarum apostolicarum sponsis indictae.

Hodie vero SS. D. N. Leo Pap. XIII decreto Sup. Univ. Inq. edito die 25 iunii 1885 revocavit decretum superius citatum Sac. Inquis. et Sac. Poenit, et statuit dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa, vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras. Hinc dispensationes petitae ante praedictum diem, subsunt iuri antiquo, et nullae sunt si reticita fuerit incestuosa copula etc.; petitae vero post, subsunt iuri novo.

## CAPUT V.

### De clausulis praecipuis quae dispensationibus matrimonialibus solent apponi.

Tractationem hanc absolvemus duobus distinctis articulis, quorum primo expendemus clausulas, quibus uti solet Apostolica Dataria, altero vero eas, quas adhibere consuevit S. Poenitentiaria.

Praestituendum tamen est: non omnes clausulae, quae litteris dispensationum inseruntur, eamdem vim habere censentur. Nam aliae quidem conditiones sunt, aliae vero praecepta seu monitiones. Utrasque a delegato seu executore servandas esse constat, priores quidem ne dispensatio invalida sit, reliquae ne illicita. Quae conditiones sunt, ea mente a S. Sede iniunguntur, ut nisi servatae fuerint, delegato minime conferre intendat potestatem literas dispensationum exequendi, quae vero praecepta, ex obedientia quidem observare oportet, quin tamen ex earum omissione dispensationis executio invalidetur. Porro conditiones a praeceptis distinguere aliquando difficilius est. Eae clausulae quae exprimuntur per particulas *si*, *dummodo*, *postquam*, vel quae efferuntur ablativo absoluto (ex. gr. *audita prius eorum sacramentali confessione*) conditiones esse generatim censentur, nisi forte id quod per clausulam exprimitur, ex ipsa rei, de qua agitur, natura, vel ex iure sit servandum. Si enim quod clausula faciendum iniungit eiusmodi est, ut etsi non iniungeretur, nihilominus sive ex rei natura, sive ex iure communi praestandum esset, S. Sedes illud in clausula commemorando, non aliud intendere existimatur, quam obligationem aliunde provenientem in memoriam revocare atque urgere. Ob hanc causam ex. gr. clausula « peractis publicationibus » quae est forma iuris communis, cum forte in litteris dispensationum exprimitur, non novam formam et conditionem inducit, sed est admonitio quaedam ut servetur forma ipsius iuris communis.

## ARTICULUS I.

### De praecipuis Clausulis Datariae Apostolicae.

Duplicis speciei sunt clausulae Datariae Apostolicae; aliae enim apponuntur rescriptis in *forma pauperum* datis, aliae rescriptis *ordinaria forma* compositis. De utrisque simul agemus eo quod exiguum inter utrasque discrimen est.

### I.

Nos igitur eosdem... et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis oc-

CASIONE VEL CAUSA LATIS, SI QUIBUS QUOMODOLIBET INNODATI EXISTUNT, AD EFFECTUM DUMTAXAT PRAESENTIUM CONSEQUENDUM HARUM SERIE ABSOLVENTES etc. Absolutio haec praemittitur in dispensationibus ut oratores si forte aliqua excommunicatione vel interdicto irretiti sint, impertita gratia frui queant, cum excommunicati iure ipso incapaces sint obtinendi gratias apostolicas. Haec absolutio prodest tantum ad hunc effectum consequendum, ita ut quoad alia omnia oratores remaneant censura vel poena innodati. Haec tamen clausula absolutoria non suffragatur haereticis graviorumque nonnullorum criminum, quae in *regula Cancellariae 66* enumerantur, reis et per quatuor menses in iisdem insordescentibus, et generaliter ea non iuvantur, qui censuris quomodolibet innodati, in iis per annum continuum insorduerint. Est autem observandum regulae praedictae rigorem per bullam *Apostolicae Sedis* temperatum esse, et insuper non quoscumque in censura insordescentes a beneficio huius clausulae absolutoriae excipi, sed eos tantum qui contracta excommunicatione denuntiati sunt nominatim et publice excommunicati. Cf. RIGANTI *in Reg. 66 Cancellariae.*

II.

CERTAM DE PRAEMISSIS NOTITIAM NON HABENTES... DISCRETIONI TUAE, DE QUA PLENAM IN DOMINO FIDUCIAM HABEMUS, MANDAMUS, etc. Per hanc clausulam in primis exprimitur forma expeditionis, quae est commissaria. Nimirum committitur delegato ministerium dispensandi, seu dispensationem impetratam exequendi. Praeterea eidem iurisdictio confertur veritatem precum verificandi. Si preces veritate niti reperiat, dispensare debet iuxta mandati formam ac tenorem. Quae quidem iurisdictio ad preces verificandas a delegato subdelegari potest, non vero ipsa dispensatio seu dispensationis executio, quae est nudum ministerium soli delegato commissum. Quod si delegatus praevideat, scandala vel alia mala ex dispensatione fore secutura, ab ea exequenda supersedere debebit.

III.

VOLUMUS AUTEM QUOD SI TU, SPRETA MONITIONE NOSTRA HUIUSMODI, ALIQUID MUNERIS AUT PRAEMII OCCASIONE PRAEMISSORUM EXIGERE, AUT OBLATUM RECIPERE TEMERE PRAESUMPSERIS, EX-

COMMUNICATIONEM LATAE SENTENTIAE POENAM INCURRAS. Verba haec *spreta monitione nostra* ad praecedentia referuntur quae sunt: « quatenus deposita per te omni spe cuiuscumque muneris aut praemii etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus. » Excommunicatio intentata est latae sententiae, at non reservata. Cóntra reservata est illa, quae adnectitur litteris ad revalidandum matrimonium datis his verbis concepta: « Excommunicationis sententia tamdiu innodatus existas, donec a Sede praedictae absolutionis beneficium per satisfactionem condignam merueris obtinere. »

Porro enuntiata superius excommunicationis poena incurritur a delegato, quoties aliquid muneris seu praemii oblatum et ab eo acceptum fuerit ante executionem dispensationis, vel etiam si antea quomodolibet oblatum et post litterarum executionem tamquam promissionis implementum admissum sit, minime vero, si post executionem dispensationis offeratur gratis aliquid executori et ab eo acceptetur. Cf. SANCHEZ *de Matr. L. 8, D. 35, n. 14.*

Quando executio committitur non Officiali seu Vicario episcopali, sed ipsi Episcopo, tunc loco excommunicationis ponitur incurrenda suspensio ipso facto ab exercitio iurisdictionis et pontificalium et a perceptione fructuum mensae.

Per has igitur clausulas universim prohibetur delegatus seu executor occasione dispensationum matrimonialium quidquam accipere. Quae prohibitio cum in singulis dispensationum litteris perpetuo instauretur, nulla unquam contraria consuetudine aboleri potest. Notarium tamen pro examinandis testibus et sumendo ceteras informationes, quartam aurei partem accipere posse, olim a S. Cong. Conc. declaratum est vel aliam summulam ut dicunt Doctores. Ceterum non solum pro exequendis apostolicis dispensationum litteris quidquam accipere Episcopi eorumque Vicarii prohibentur, sed generatim etiam, cum vi expressi vel taciti indulti dispensant, gratis id facere tenentur ex Concil. Trid. *Ses. XXV. Cap. 18 de Matrim.* (1).

---

(1) Sac. Congr. de Prop. Fide die 8. Dec. 1869 declaravit in dispensationibus matrimonialibus taxas seu multas a contrahentibus nunquam exigi atque in hoc quamvis tergiversationem aut praetextum minime suffragari posse. Id tantum admisit, ut fiat Vicariis apostolicis facultas, qua divites excitari possint ad praestandas eleemosynas non per modum conditionis et praecepti, sed tantum admonitionis.

## IV.

De praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus. « Vi huius clausulae delegatus tamquam mixtus exsecutor, explorationem instituere debet sive per se, sive per alium, non tamen ex oratorum testimonio (neque enim hic agitur de foro conscientiae) sed aliunde. Iamvero si adsit contradictor, haec informatio iudicialis esse debet, quemadmodum talis esse oportet si ita in rescripto praescribitur. Quibus in casibus partes testesque citari et acta in forma iudiciali instrui debent. In aliis casibus sufficit extraiudicialis informatio. Quocirca delegatus ita se informare debet aut ex testibus, aut ex authenticis scripturis aut ex notorietate, vel publica fama, vel oratorum iuramento, non tamen in foro conscientiae, ut prudenter credere possit rem ita se habere; id enim ad minimum videtur exigere clausula *diligenter te informes* (Reiffenstuel *App.* § 7 *n. 324*). Parochus autem in exploranda rei veritate has ipsas praescriptiones servabit.

Obiectum huiusmodi explorationis sunt *a*) causae; *b*) impedimenta; *c*) qualitas oratorum, quoties id casus requirat de quo agitur; *d*) in dispensationibus concessis in *forma pauperum* verificanda est paupertas, quae quidem exploranda est non solum ex parochi attestatione, qui re prius sedulo expensa, omnia ad Ordinarium referre tenetur, sed etiam ex testimonio saltem duorum testium. Informatio atque exploratio per hanc clausulam praescripta, necessaria est ad validitatem dispensationis, cum clausula habeat vim conditionis. Deducitur id ex Benedict. xiv Const. « Ad apostolicae servitutis » *d. 25 Febr. 1742* in qua haec habentur: « Cum expressio causarum earumque verificatio ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus gratia nulla ac irrita sit nullamque executionem mereatur. » Notandum vero est quod si plures sint causae et verificata finali omittatur aliarum verificatio quae impulsivae sunt, vel si plures sint causae finales et una tantum verificata fuerit, dispensatio non redditur irrita. Notandum praeterea si ad informationes capiendas delegatus alterum subdeleget, necessarium non esse ut deputet personam in ecclesiastica dignitate constitutam, cum non agatur de cognitione causae iudicialis (Cf. De

IUSTIS *Lib. 1, Cap. VI*). Postremo observa non posse oratores sive extraiudiciali sive iudiciali forma procedatur, si se per delegati decretum gravari existimant, appellare ad Episcopum ipsum, vel ad Metropolitanum, sed necesse esse ut causam suam ad Summum Pontificem, vel ad Cardinalem Pro-Datarium deferant. Cum enim agatur de iurisdictione directe a supremo Pontifice delegata, nonnisi ad ipsum delegantem recursus haberi potest.

## V.

TUNC CUM EISDEM, DUMMODO MULIER PROPTER HOC RAPTA NON FUERIT, QUOD IMPEDIMENTO HUIUSMODI AC CONSTITUTIONIBUS ET ORDINATIONIBUS APOSTOLICIS CETERISQUE CONTRARIIS QUIBUSCUMQUE NON OBSTANTIBUS, MATRIMONIUM INTER SE PUBLICE, SERVATA FORMA CONCILII TRIDENTINI CONTRAHERE... VALEANT, AUCTORITATE NOSTRA DISPENSES.

Ad primam partem huius clausulae quod spectat « dummodo.... rapta non fuerit », conditionem ipsa importat, ac proinde irrita manet concessio si orator oratricem rapuerit, etiamsi eadem in locum tutum restituta atque extra potestatem raptoris existat. Quin imo etiamsi in mandato haec clausula non reperiatur expressa, subintelligi debet, uti omnes practici scriptores tenent. Quamobrem delegatus, si compererit oratricem raptam fuisse propter matrimonium, dispensationem exequi non poterit (1).

Ad effectum derogandi legi connubialis impedimenti adiiciuntur verba « quod impedimento huiusmodi ac Constitutionibus... non obstantibus. » Per hanc tamen derogationem, nunquam alter gradus, vel aliud impedimentum in precibus et litteris non expressum suppletur; neque vigore huius derogationis sanantur obreptionis vel subreptionis vitia. Ultima verba « Matrimonium inter se publice... contrahere valeant » sunt adiecta ad repellenda coniugia clandestina. Quare praescribitur ut publice servata Tridentini forma contrahatur, nempe praemissis tribus denunciationibus et adhibita praesentia proprii parochi et duorum vel trium testium. Per solam tamen omissionem denunciationum non de-

(1) Quamvis excommunicatio inflicta raptori non sit reservata, tamen post petitam dispensationem, Episcopus non potest ab illa absolvere propter appositionem manus Pontificis. Cum vero eidem committitur Episcopo executio dispensationis, tunc absolvit tamquam sedis apostolicae delegatus.

strueretur valor matrimonii, a quibus semper Ordinarius dispensare posset, iusta subsistente causa.

Si agatur de matrimonio invalide contracto, dicitur « quod impedimento etc.... matrimonium inter se de novo publice » etc.

Extra casum copulae habitae eiusque suspicionis et matrimonii invalide contracti additur « Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando. » De qua clausula Reiffenstuel *in App. n. 358*, affirmat eam adiici in litteris ad abundantiam aut saltem ad scrupulos avertendos, eo quod proles nata ex subsequenti matrimonio legitime inito vi dispensationis, absque alia legitimatione sit legitima. Nihilominus clausulam istam observare debet delegatus ut rescripto plene pareat.

Quoties dispensatio petitur ad revalidandum coniugium invalide initum propter impedimentum dirimens, vel quoties copula habuit locum, aut eius adest suspicio, adhibentur verba « Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo. » Iam ad declarationem primae huius clausulae partis dicimus, indubium esse principium, quod proles spuria, non vi matrimonii subsequentis neque virtute meae dispensationis connubialis, sed ex speciali Ecclesiae auctoritate et concessione legitima evadit. Ita Benedict. xiv, in *Const.* Redditae Nobis edita *die 5 Dec. 1744* expresse declaravit. Quoniam Ecclesia in Iure indulsit, ut proles suscepta ex nupturientibus nullo canonico impedimento dirimente detentis, legitima habeatur per subsequens matrimonium, ideo necesse est ut ad legitimandam prolem ortam ex parentibus propter impedimentum inhabilibus ad contrahendum, praeter auctoritatem dispensandi, conferatur delegato etiam potestas legitimandi huiusmodi prolem, unde binae distinctae facultates in huiusmodi concessionibus inveniuntur. Ex quo infertur: *a)* debere delegatum in exequendis his litteris non solum dispensare, sed etiam expresse legitimare prolem ab oratoribus antea susceptam, secus ea illegitima manet. *b)* Infertur posse delegatum si praetermiserit id facere, durante suo officio novum conficere decretum quo legitimet; imo etiam eius successor id exequi poterit. Infertur *c)* legitimationem suum habere effectum ex actu quo delegatus decretum emittit, et nullum habere si oratores a contrahendo matrimonio recederent. *d)* Infertur quod obtento Pontificis mandato eoque executioni dato, si uterque vel alteruter orator obierit antequam matrimonium contrahatur, adhuc mandatum suum effectum habet quoad legitimationem prolis. Imo si

mors oratoris ante executionem mandati acciderit, potest adhuc delegatus illud exequi, legitimam declarando prolem.

In casu copulae habitae vel eius fundatae suspicionis, vel matrimonii scienter invalide initi, peculiares clausulae adiiciuntur in rescriptis Datariae circa separationem quoad thorum et habitationem, poenitentiam, absolutionem. Iamvero iniunctio et executio separationis fieri debet ante executionem dispensationis, et si separatio haec violetur ab oratoribus absque tamen iteratione incestus, delegatus novam separationem debet iniungere et, ea observata, dispensare; si vero incestus iteratus sit, rescriptum evadit irritum, et novum implorandum est. Pariter delegatus debet poenitentiam imponere; at si id omittat, valida nihilominus est executio litterarum in *forma ordinaria*, quia illa iniunctio est merum praeceptum, irrita vero in *forma pauperum*, quia ibi est conditio irritans. Pariter si oratores poenitentiam acceptant, sed non exequuntur, valida est dispensatio. Animadvertendum praeterea est poenitentiam, si in rescripto determinata sit, non posse a delegato mutari; quod si ea relicta fuit delegati arbitrio, ab eo tantum, non vero ab alio mutari potest.

Quoad poenitentiam duae supersunt clausulae quae solent inveniri in forma pauperum, saltem pro gradibus propinquioribus. Prima est: « peractis ab eis duabus sacramentalibus confessionibus »; altera est: « si veniam a te petierint humiliter. » Iamvero utraque adimplenda est ante absolutionem a delegato dandam in foro externo et interno non sacramentali et habita confessarii attestatione de confessionibus peractis. Delegatus vero devenire nequit ad absolutionem impertiendam et dispensationem exequendam antequam oratores petierint humiliter veniam, quia haec clausula conditionem importare videtur.

## VI.

Ab incestus reatu et excessibus huiusmodi hac vice dumtaxat in forma Ecclesiae consueta in utroque foro auctoritate nostra absolvas. Haec clausula ponitur quando non agitur de primo vel secundo gradu, neque de matrimonio invalide contracto: cum vero de his agitur, clausula sic exprimitur: « Ab incestus reatu et excommunicatione aliisque sententiis, censuris et poenis » etc. Circa hanc clausulam notandum ad hanc absolutionem non esse necessarium ut fiat confessio sa-

cramentalis, sed eam a delegato extra confessionem etiam quoad forum internum seu conscientiae dari posse, ita ut taliter absolutus tam in foro externo quam interno sit immunis a poenis quas ob incestum incurrit. Reiff. App. § 7, n. 341.

Quamvis vero per Constitutionem Pii IX *Apostolicae Sedis* abrogatae fuerint censurae latae sententiae, quibus forte casus incestus vel matrimonii invalide scienter contracti in gradu vetito subiiciebantur, attamen et hodie haec absolutio per delegatum ante dispensationem impertiri debet, quae cum ad forum externum pertineat, etiam absentibus dari posse censetur.

## VII

Sub hoc numero comprehendimus reliquas clausulas, quae sunt: *a*) Et quatenus contra ipsos causa super praemissis in iudicium quoquo modo deducta fuerit, parito iudicato. Quando ab oratoribus incestuosis dispensatio petitur sive ad contrahendum, sive ad revalidandum coniugium invalide initum, semper apponitur haec clausula. Si enim uterque vel alteruter ex oratoribus ante executionem dispensationis deductus foret vel accusatus ad forum contentiosum ecclesiasticum plectendus poenis incestuosorum, absolutio, neque in foro externo, neque in foro conscientiae data, ei suffragaretur, neque dispensationis executio valida esset. Immo id valeret, etsi oratores fuerint ad forum laicum deducti, dicitur enim *causa quoquo modo in iudicium deducta*. Itaque edicitur hac clausula delegatum oratores a reatu incestus et poenis absolvere et ab impedimento dispensare non prius posse, quam reipsa paruerint sententiae latae vel ferendae a foro ad quod eorum crimen deductum fuit. Corradus *de Disp. l. 8, c. 2;* De Iustis *lib. I, c. 7.* Diximus autem reipsa, quia non sufficit ad valide absolvendum et dispensandum quod oratores tantum cautionem praestent de obedientia iudicato exhibenda; clausula enim illa *parito iudicato* conditionem importat sub qua datur iurisdictio dispensandi et consequenter, qua non observata, iurisdictio nulla est nec potest per aequivalens adimpleri. Quod si oratores ad nullum delati sint forum, aut sententiae paruerint, debet ac potest delegatus eos absolvere et cum iis dispensare et haec absolutio ita eis quoad forum externum suffragatur, ut amplius propter eumdem incestum vocari seu puniri nequeant.

*b*) Et recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae Dispensationis huiusmodi, incestum hunc non commiserint. Iuramentum hoc ita necessario exigi ab oratoribus debet, ut si illud non praestiterint, executor invalide dispenset. Invalida pariter dispensatio erit, si oratores ambo non unus falso iurent, negando se habuisse praefatam spem, quam revera habuerunt, et in hoc casu petenda esset a S. Poenitentiaria dispensationis instauratio. Illud tamen specialiter hic notandum, posse contingere quod aliqui habeant copulam cum spe consequendi dispensationem, non vero *sub spe facilius obtinendi dispensationem.* Iamvero hi posteriores tantum indigni reputantur dispensatione, non vero illi. Delegatus committere potest Vicario Foraneo, aut alteri, ut tale iuramentum recipiat.

In *forma pauperum* insertae etiam inveniuntur clausulae circa necessitatem ut delegato constet de paupertate, deque absentia cuiuslibet impedimenti executioni obstantis, deque scandalo exinde non orituro. Hinc delegatus inquiret an ex actis constet preces veritate niti, an clausulae impletae sint, an aliud impedimentum obstet, licet impediens tantum, an aliud nullitatis vitium existat. Inquirere praeterea debet an dispensatio aliis inferre damnum possit, an ex ea scandala oritura sint, in his enim casibus executio suspendenda foret.

Quoad paupertatem duplex instituendum est examen, primum antequam dispensatio impetretur, alterum in executione eiusdem et quidem ad normam Instructionis editae an. 1671. Si vero falso ea allegata fuerit, non irrita, sed illicita censetur concessio a Dataria facta, ut alias innuimus; delegatus tamen certior factus de falsitate paupertatis, dispensare nequit.

## ARTICULUS II.

### De praecipuis Clausulis Sacrae Poenitentiariae.

Sacrae Poenitentiariae clausulas in duplicem classem dispescimus, alteram earum quae forum externum respiciunt, alteram earum quae forum internum.

## § 1. — *Clausulae pro foro externo.*

### I.

Erogata ab eis aliqua eleemosyna iudicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda; vel: Erogata ab eis aliqua eleemosyna in pauperes, arbitrio eiusdem Ordinarii iuxta eorum vires taxanda. Vi huius clausulae Ordinarius non solum taxare debet eleemosynam, sed etiam praestituere quibus vel in quale opus ea sit eroganda, quoties finis non contineatur expressus in ipso rescripto. Haec impositio eleemosynae ad validitatem executionis pertinet, et quamvis disputetur an eroganda sit ante executionem, citra dubium est maxime expedire ut id fiat. Solet vero haec clausula apponi quando locum habuit incestus, sed invenitur etiam in aliis rescriptis.

### II.

Praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quovis modo incursis et ab incestus reatibus usque ad praesentium executionem forsan iteratis cum gravi poenitentia salutari; vel: Cum gravi poenitentia salutari, etc. Haec clausula aliaeque similes in dispensationibus matrimonialibus, quae conceduntur pauperibus in foro externo apponi solent, quando inter sponsos incestus intervenit. Quatuor sunt eiusdem clausulae partes, scilicet absolutio a censuris, absolutio ab aliis poenis ecclesiasticis, absolutio ab incestus reatibus, impositio gravis poenitentiae salutaris.

### III.

Praevia eorum separatione per tempus tibi bene visum. Haec clausula, quae abolita antiquiori: « Interdicto prius oratoribus quocumque tractu » etc., a S. Poenitentiaria in casu incestus nuperrime adhiberi coepit, eamdem habet interpretationem, ac illa quam supra art. I, n. V in clausulis Datariae explicuimus.

### IV.

Exhibita fide sacramentalis Confessionis. Haec etiam clausula apponi solet cum agitur de casu incestus. Quod si li-

queat unum vel alterum ex oratoribus id non esse praestiturum, potest supplicari ut haec clausula omittatur. Hic etiam recolenda sunt quae iam diximus loquentes de clausulis Datariae, scilicet diversam clausulam adhiberi cum agitur de matrimonio contrahendo, aliam cum de invalide contracto et de prolis legitimatione. Pariter notandum est non exigi iuramentum de quo loquuti sumus. In casu affinitatis illegitimae apponitur clausula SUBLATA vel REMOTA OCCASIONE PECCANDI. Denique et aliae apponuntur clausulae, quae si adnexae non sint, subintelligi debent, ex. gr. *a*) DUMMODO INTER EOS ALIUD CANONICUM NON EXISTAT IMPEDIMENTUM; *b*) DUMMODO AD APOSTOLICAM DATARIAM PRO EADEM DISPENSATIONE RECURSUS FACTUS NON FUERIT.

§ 2. — *Clausulae pro foro interno.*

Notandum imprimis litteras dispensatorias a Maiori Poenitentiario ad oratorum Confessarium dirigi vel cum inscriptione « Discreto viro Confessori magistro in theologia vel Decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem praesentium ad infrascripta specialiter eligendo », vel cum inscriptione: « Discreto viro Confessori ex approbatis ab Ordinario », vel quando fuit expostulata trasmissio dispensationis ad determinatum Confessarium, cum inscriptione « Discreto viro N. Confessario ». Per citata verba designatur qualitas illius qui deputatur executioni. Hinc in prima formula, quae tamen vix non obsolevit, is debet esse 1) Doctor in Theologia vel Iure Canonico, aut speciali Apostolico privilegio ad has litteras exequendas praeditus. Doctor autem hoc in casu is est, qui Doctoris lauream consecutus est in aliqua publica Academia presso proprioque sensu intellecta, quod etiam de Religiosis dicendum est. Attamen qui speciali privilegio apostolico aucti sunt ad has litteras aperiendas et exequendas, id valide agunt, dummodo caeteris requisitis polleant. Tale privilegium habent Patres Soc. Iesu ex Constit. GREGORII XIII edita *die 3 Aprilis 1582;* non quidem omnes, sed illi qui ab eorum Praeposito Generali, vel de eius licentia ab aliis Societatis superioribus ad id specialiter designati fuerint; habent etiam Lectores Regulares S. Francisci Minoris Observantiae, ab INNOCENTIO XI, in Const. *Exponi Nobis, 27 Nov. 1679.* Debet 2) esse iuxta formulas praedictas, *actu Confessarius* approbatus ab Ordinario loci in quo fit executio litterarum hinc non est aptus ille qui approbatus est

ab Ordinario alterius dioecesis, vel cui, olim approbato ad tempus, expiravit terminus approbationis, vel qui approbatus est ad audiendas confessiones virorum tantum, cum dispensatio est pro muliere, aut viceversa. Necessarium est 3) ut talis confessarius specialiter eligatur ab ipsis oratoribus. In aliis clausulis duo tantum requisita postulantur, nempe ut confessarius sit ab Ordinario loci approbatus et ab ipso oratore specialiter electus. Notandum denique, si cui litterae reddantur, qui postquam eas aperuerit videt se aliquo ex requisitis carere, vel nolit electionem acceptare, non opus esse novarum litterarum petitione, sed primas tradi posse per oratorem alteri confessario, quem oratores elegerint.

Inter clausulas quibus utitur S. Poenitentiaria, illa nunquam deest qua committitur onus indagandi veritatem precum; unde dicitur:

## I.

SI ITA ESSE PER DILIGENTEM ORATORIS EXAMINATIONEM AC POST MONITA ET CONSILIA OPPORTUNA ILLI PRAESTITA INVENERIS; vel: SI ITA EST. Vim huius clausulae ita exponit BENEDICT. XIV in *Inst. eccl. 87, n. 34*: « Quare qui litteras exequitur, omnem curam ac diligentiam impendere debet ut cognoscat an verum sit quod Maiori Poenitentiario fuit expositum, an res ipsa, circumstantiae et causae ac rationes ad obtinendam dispensationem prolatae veritati prorsus consentaneae sint. Nam eiusmodi executio committitur haud pro *mero* solum, sed pro *mixto* etiam foro conscientiae. Quamobrem monere debet eum qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est ut diligenter investiget, utrum revera probentur omnia quae ille testatus fuerit. Non tamen ulli testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est, qui dispensationem impetravit. Pontius censuit iusiurandum elici posse ut rei veritas magis comprobetur, hanc tamen sententiam reliqui omnes improbant. Quare, paucis iam superius dicta complectamur: adhibendam ab executore accuratam diligentiam, quam modo ostendimus; aliter irritam fieri dispensationem, nisi forte ipse aliunde rei veritatem iustamque causam cognoverit. Quod si confessarius pro certo habeat falsum esse quod Summo Poenitentiario propositum fuit, ab exequendo dispensationem abstineat, licet qui ipsam postulavit rei falsitatem tueri contendat, modo tamen sacerdos id non perceperit cum

Poenitentiae sacramentum dispensando administravit, non enim uti licet iis quae tunc deprehenduntur. » Interest nihilominus inter utramque clausulam: « *Si ita esse... inveneris* » et « *Si ita est* » (a qua non differt alia, quae aliquando adhibetur: « *si preces veritate nitantur* »), quod cum prior formam et conditionem importet, eiusque omissio irritet dispensationis actum, nisi veritas precum notoria sit, per alteram vero non inducitur nova forma seu conditio, quippe quae iure inest, cum omnis dispensatio subreptitia sit, cuius causa veritate non nititur.

Quamvis autem confessarius « per monita et consilia opportuna » monere debeat poenitentem de rei gravitate ut verum dicat, haec tamen clausulae pars vim conditionis non habet, et proinde sicubi omittatur, non illico est invalida dispensatio.

## II.

Audita prius eius (vel *eorum*) sacramentali confessione. Et circa finem: In (vel *pro)* foro conscientiae et in actu (vel *in ipso actu*) sacramentalis confessionis tantum et non aliter; vel: In sacramentali confessione tantum.

Clausulae istae evidenter exigunt ut executio fiat post auditam confessionem. Illis declarandis maxime inserviunt tria responsa Sacrae Poenitentiariae quae heic subiicimus.

Propositum fuit dubium: « An poenitens qui voluntarie et malitiose facit confessionem nullam et sacrilegam, dum virtute dispensationis obtentae a S. Poenitentiaria rehabilitatur in beneficio simoniace obtento, aut dispensatur ab impedimento matrimonium dirimente, sit sufficienter dispensatus et an denuo sit recurrendum ad S. Poenitentiariam? » S. Poenitentiaria ad propositum dubium respondit: « Dummodo confessarius litterarum S. Poenitentiariae executor servet quae sibi in iisdem litteris praescribuntur, tunc datas vigore earumdem litterarum dispensationes validas fore, etiamsi contingat poenitentem invalide ac sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quod si confessarius advertat poenitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi rite non posse, curare debet ut idem poenitens recte disponatur vel si disponi nequeat in praesenti, differre debet una cum absolutione a peccatis praedictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes accelerare. » Apud Carriere *De Matr. n. 1168*

Aliud dubium erat: « Num dispensationes super impedimentis dirimentibus occultis in matrimoniis contractis significandae sint statim post susceptam absolutionem, aut priusquam dispositiones praeviae ad absolutionem existant, atque absolutio suscipiatur, idque ut citius validitati matrimoniorum provideatur sicque commercii illiciti occasio arceatur. » Die 19 Maii 1834 Episcopo Tudelensi S. Poenitentiaria respondit: « Dispensationes, de quibus in casu, manifestandas esse ante absolutionem, quas tamen confessarius concedere potest etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat. »

Denique S. Poenitentiaria die 4 Ian. 1839 rescripsit: « In exequendis S. Poenitentiariae rescriptis cavendum quidem est ut poenitens ad peccatorum absolutionem disponatur, nihilominus validas fore absolutiones a censuris, dummodo saltem praecesserit accusatio seu confessio peccatorum quae sacramentalis sit. » Ceterum confessio praescripta facienda est confessario debite qualificato et ad exequendas litteras electo. Clare autem patet hanc dispensationem executioni mandari non posse extra confessionem.

## III.

Sublata vel remota occasione peccandi, vel: amplius peccandi; vel: Postquam omnem recidivae conversationis occasionem abstulerit. Interdum additur: Cavendo tamen ne huiusmodi delictum ipsi oratrici (vel oratori) forsan ignoranti detegatur.

Haec clausula adhibetur occasione affinitatis illegitimae. Occasio voluntaria et proxima omnino tolli debet, necessaria vero in remotam verti. Quod si poenitens nolit id agere, confessarius non potest exequi dispensationem.

## IV.

Diversis modis prout diversitas casuum exigit datur facultas absolvendi 1) ab incestu et excessibus huiusmodi; vel 2) a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt incestu et excessibus huiusmodi; vel 3) a quibusvis etc. incurrerunt adulterio, fide data (vel homicidio) et excessibus huiusmodi;

vel alio simili modo. Vi huius clausulae confessario datur facultas *hac vice* absolvendi, qua uti potest, licet in ea dioecesi incestus inter casus reservatos inveniatur, vel censura in eum sit lata et confessarius careat facultate absolvendi a reservatis. Ad absolutionem hanc impertiendam non est necesse uti forma peculiari absolvendi, sed sufficit forma Ecclesiae consueta, quam pro foro poenitentiae Rituale romanum praescribit. Quod si haec non possit dari et dispensatio differri non debeat, tunc omissa absolutione a peccatis, praemittitur executioni absolutio a censuris et poenis si quas incurrerunt, quae absolutio in hoc casu danda est in tribunali poenitentiae, et dari etiam potest quamvis post supplicationem copula iterata fuerit.

V.

Iniuncta gravi poenitentia salutari. Poenitentia iniungenda est a confessario oratoribus. Duplici autem modo praescribi solet in litteris; aut enim expresse definitur qualis esse debeat, aut remittitur confessario. In primo casu non licet confessario eam vel temperare vel in aliam mutare. In alio casu permittitur eius arbitrio eam determinare, quae tamen debet esse consentanea sceleri. In utroque casu, nisi prius confessarius poenitentiam imponat, non potest relaxare poenitentem ab occulto impedimento.

VI.

Et sacramentali confessione peccatorum suorum singulis scilicet mensibus ut minimum semel et quoties animae suae saluti expedire iudicaveris, vel: quoties tibi videbitur vel similiter. Haec iniunctio nequit omitti iuxta declarationem S. Poenitentiariae d. 4 Ian. an. 1839; et per verba illa « quoties tibi videbitur » in poenitentiis arbitrio confessarii permissis, non intelligitur mera et libera voluntas, quasi eas pro libitu possit iniungere, sed verba illa important arbitrium boni viri, seu haec iniunctio fieri debet, habita ratione conditionis, aetatis, sexus, etc.

VII.

Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam. Per hanc clausulam executor debet hortari poenitentes ad aliquam

faciendam eleemosynam. Attamen haec non est iniuncta ut in dispensationibus pro foro externo verbo *erogata*, proindeque non constituit conditionem pro valore.

VIII.

Et aliis quae de iure fuerint iniungenda. Per hanc clausulam iubetur confessarius alia quoque praescribere poenitenti, si quae forte exigant caetera eius peccata, ut si quis propter impedimentum sponsalium parti lacsae satisfacere deberet.

IX.

Dummodo impedimentum occultum, vel: omnino occultum sit. Ad hanc clausulam enucleandam in primis notandum est quod in litteris S. Poenitentiariae impedimentum dicitur occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor vel quinque in aliquo oppido, vel septem aut octo in aliqua civitate, dummodo nullum probabile periculum sit quod publicetur. Hinc si confessarius prudenti coniectura intelligat post breve tempus futurum esse publicum quod a paucis antea dignoscebatur, abstinere debet ab exequenda dispensatione (1).

Dicitur autem impedimentum omnino occultum, quod non solum actu publicum vel notorium non est, sed ne probari quidem ulla ratione potest, prout plerumque accidit cum impedimentum criminis dispensandum proponitur.

Si antequam executioni demandetur dispensatio, crimen fuerit deductum ad forum contentiosum, tunc erit occultum, si reus per sententiam iudicis fuit absolutus ut innocens vel dimissus a processu ex hactenus deductis seu si non fuerit probatus culpabilis. Publicum vero, si reus non obtinuit definitivam eiusmodi sententiam, sed tantum fuit redditus libertati, interposita conditione vel cautione de se repraesentando.

In casu quo impedimentum publice quidem cognoscatur in eo loco ubi contractum fuerit, occultum vero sit in eo ubi oratores degunt, tunc si hoc fuit expositum Maiori Poenitentiario, litterae executioni dabuntur, si autem non fuit expositum, confessarius reum hortetur ut rursus ad Poenitentiariam confugiat.

(1) In praxi considerandum est non solum quot personis impedimentum sit notum, sed etiam qualibus, ut iudicari possit an adsit evulgationis periculum.

Quod si impedimentum aliquando fuit publicum, et diuturnitate temporis occultum evasit, tunc admittitur ut occultum, si per decennium latuit. Si vero factum publicum sit, sed non cognoscatur ut criminosum, impedimentum occultum censetur. Si autem crimen publicum sit sed ignoratur poena ei imposita vel impedimentum ei additum, occultum non censetur (Cf. Bened. xiv *Inst. eccl. 87, n. 47, 48*) neque proinde confessarius dispensationem exequi poterit.

X.

Dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum. Per hanc clausulam auctoritas dispensandi confessario commissa coarctatur ad solum casum in quo, praeter impedimentum vel impedimenta in litteris expressa, aliud non obstet sive occultum sive publicum, etiamsi super isto iam impetrata fuerit in foro externo a Dataria dispensatio, de qua nulla mentio facta est in precibus ad Sacram Poenitentiariam. Hinc si confessarius, praeter expressum in litteris impedimentum, etiam alio laborare poenitentem cognoscit, dispensare nequit, etsi bona fide et ex ignorantia invincibili illud exprimere poenitens omiserit.

XI.

Dispensandi; vel: Dispenses. Haec dispensatio, ut communius docetur, potest executioni mandari, quamvis dispensatio fori externi nondum impetrata aut executioni mandata fuerit. Quando vero matrimonium non fuit adhuc celebratum coram Parocho et testibus, adhibetur ea fere formula de qua loquuti sumus agentes de clausulis Datariae Apostolicae seu: *Tunc cum eisdem* etc. Verum post matrimonium contractum in forma Tridentini licet invalide, ponuntur sequentia: « Dummodo separatio inter latorem et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit..., cum eodem latore ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem et uterque inter se de novo, secrete ad evitanda scandala, ...contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses. » Quoad haec sufficiat notare 1) quod ea verba « separatio... timendum sit » causam ex-

primunt, et ideo si falsa ea sit, irrita est concessio. Pariter 2) verba illa « ut dicto viro de nullitate prioris consensus certiorato... detegatur » conditionem continent quae necessario servanda est. Denique 3) verba ultima « matrimonium cum eadem... contrahere » indicant modum renovandi matrimonium, scilicet satis esse ut putatitii coniuges soli inter se mutuum de novo praestent consensum, et hinc non requiritur ut novus iste consensus coram parocho et testibus praestetur, neque confessarii praesentia necessaria est.

## XII.

Ita quod huiusmodi absolutio et dispensatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragetur; vel similiter. His verbis declaratur quod si forte impedimentum occultum a quo oratores dispensantur publicum evadat, adhuc ab apost. Dataria impetranda sit dispensatio pro foro externo, et si ad forum iudiciarium deferatur, oratores poenis a iure statutis subiacerent, et ipsa proles reputaretur quoad omnia illegitima, quamvis in foro conscientiae legitimi coniuges manerent.

## XIII.

Nullis super his testibus adhibitis aut litteris datis seu processibus confectis. Confessarius scilicet habet pro sufficienti teste ipsum poenitentem ideoque neque adhibere potest testes ad veritatem detegendam, nec dare dispensationis litteras oratoribus, neque in libris parochialibus mentio dispensationis fieri potest. Denique inhibentur confessario ea omnia, quae pertinent ad forum externum.

## XIV.

Sed praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ipsi praesentes litterae suffragentur; vel: praesentibus, post earum executionem, sub excommunicatione latae sententiae per te combustis, vel: laniatis. Per hanc clausulam iniungitur confessario sub gravi peccato

mortali dilacerare dispensationis litteras, eo quod excommunicatio, quae non dilaceranti ipso facto infligitur, nonnisi propter peccatum mortale infligatur iuxta communem DD. sententiam. Per *laniationem* vero non solum intelligitur proprie dicta *laniatio* seu dilaceratio, sed quivis alius actus quo litterae corrumpuntur. Haec litterarum destructio differri non debet ultra triduum, iuxta plures, post executionem vel saltem post celebrationem matrimonii. Si tradantur dispensato, valet quidem dispensatio, sed in foro externo non suffragantur.

Quando oratores, inter quos nullum existit impedimentum, habentur publice pro coniugibus, sed concubinarii sunt et non contraxerunt in forma Tridentina ac licentiam petunt a sacra Poenitentiaria secrete contrahendi coram parocho ac testibus, omissis denuntiationibus, tunc Sacra Poenitentiaria omittit vocem *laniatis* in litteris parocho datis, et indicat parocho matrimonium esse adnotandum in libro.

## ARTICULUS III.

### Immutationes inductae in Clausulis Dispensationum Matrimonialium et probatae a SSmo D. N. Leone PP. XIII in Aud. diei 28 Augusti 1885.

1. In Apostolicis Litteris quibus a Dataria Apostolica conceduntur dispensationes matrimoniales omittantur abhinc sequentes clausulae: *a)* « Si veniam a te petierint humiliter ». *b)* « Recepto prius ab eis iuramento quod non sub spe facilius habendi dispensationem huiusmodi incestum vel adulterium huiusmodi non commiserint, quodque talia numquam deinceps committant neque committentibus praestabunt auxilium, favorem ». *c)* « Peractis ab iis duabus sacramentalibus confessionibus ».

2. In iisdem litteris tollantur sequentia verba: « Volumus quod si tu aliquid muneris aut praemii exigere aut oblatum recipere praesumpseris,... absolutio aut dispensatio nullius sit roboris aut momenti »; et dicatur: « vetito omnino ne aliquid muneris aut praemii exigere aut oblatum recipere praesumpseris. »

3. Tollatur clausula: « dummodo in praefata separatione permanserint », et dicatur eius vice: « remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem tempore Tibi beneviso, si fieri potest ».

4. Clausulae « si preces veritate niti repereris » substituatur haec alia: « si vera sint exposita ».

5. Ubi dicitur « absolvat sive per se sive per alium in forma Ecclesiae consueta », dicatur: « hac vice tantum sive per te sive per alium absolvas ».

Ad haec; Congregatio S. Officii fer. IV die 4 Maii 1887 decrevit quoad facultatem dispensandi super impedimentis sive mixtae religionis, sive disparitatis cultus, esse demendam in formulis clausulam « exceptis Italis de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse. »

## ARTICULUS IV.

### De Clausulis quae apponuntur in Dispensationibus a Votis.

Superest enucleare tres clausulas dispensationis super voto simplici ad nubendum in utroque foro obtentae.

Porro compertum est quod si votum simplex castitatis vel religionis ingrediendae notorium sit, eius relaxatio seu commutatio ad contrahendum matrimonium postulari debet in utroque foro; si sit occultum, in foro tantum interno. Iam clausulae sunt sequentes.

### I.

Constito tibi legitime de praemissis.

Clausula ista, in ablativo absoluto posita, conditionem importat. Quid autem per ipsam executori iniungatur, patet ex dictis circa clausulam: *si preces veritate nitantur.*

### II.

Votum praedictum....
dispensando auctoritate nostra commutes.

Haec clausula indicat non agi de mera dispensatione in voto, neque de mera commutatione, sed de commutatione mixta cum dispensatione, ita ut commutatio non sit in opus omnino aequale, sed in opus inaequale inferioris oneris. Hinc vi dictae clausulae

committitur delegato auctoritas commutandi in inaequale et dispensandi seu condonandi quod deest aequalitati.

Oportet autem ut inaequalitas ipsa sit moderata; idque profluit ex tenore ipsius clausulae, quandoquidem ut principale ponitur *commutes* et tamquam accessorium *dispensando*. Quare, vi huius clausulae, ut notat P. Leo S. I. in *Praxi Sac. Poenit.*, principaliter quidem fieri debet *commutatio*, quae de natura sua est in maius vel in aequale, accessorie autem seu secundario a rigore huius aequalitatis aliquantisper receditur, et ideo dicitur *dispensando commutes*, non autem *commutando dispenses*. Igitur executor inter moderatos limites consistere debet, habendo prae oculis nedum gravitatem voti castitatis quod commutatur, sed etiam vires voventis, cui poenitentiae opera loco illius iniungenda sunt.

Commutatio ista, ut plurimum, fieri debet iniungendo sacramentalem confessionem peccatorum *singulis mensibus semel vel quoties executori videbitur* faciendam. Haec confessio, cum sit in litteris praefinita, commutari nequit ab executore in aliud religionis opus. Remittitur tamen prudenti arbitrio delegati, prout secundum Deum animae saluti dispensandi expedire iudicaverit, vel menstruam confessionem imponere (nam frequentiorem vi huius clausulae imponere non potest), vel etiam minus frequentem, ut bimestrem vel trimestrem, id quod verba *singulis mensibus semel, vel quoties tibi videbitur*, manifeste important (Sanchez, de Matr. l. VIII, disp. 34, n. 32). Atque ita delegatus tenetur necessario primum subrogare in commutationem voti aliquas sacramentales confessiones. Secundo, sive executor voventi iniunxerit sacramentalem confessionem semel in mense, vel etiam minus frequentem, vovens necessario parere debet, secus quoad hanc partem votum transgreditur, pro quo, auctoritate Pontificis, confessionis illa frequentia subrogatur. Tertio demum ad has confessiones implendas tenetur vovens etiam quando nullam habeat materiam necessariam confessionis. Ille vero cui confessio imponitur singulis mensibus, satisfacere poterit quocumque die illius mensis, et si illi non satisfaciat in uno mense, non tenetur in sequenti eam duplicare, quia est confessio addicta singulis mensibus: prout nec duplicare eam tenetur in illo mense in quo confitetur ut satisfaciat Ecclesiae praecepto de annua confessione. In formulis sacrae Poenitentiariae pro foro interno commutatio facienda est *in sacramentalem confesssionem semel quolibet*

*mense et in aliqua poenitentiae opera per Confessarium iniungenda etc.*

Neque sufficiens censetur commutatio voti castitatis in solam menstruam confessionem, propterea quod subiungitur in litteris: « et in alia poenitentiae opera per te iniungenda, inter quae sint etiam aliqua quae quotidie facere teneatur. » Quae verba duo important, quorum primum est quod delegatus iniungat non unum opus, sed plura opera poenitentiae: alterum est quod inter ea adsint aliqua quae singulis diebus implenda sint, ad eum finem ut vovens meminisse quotidie possit obligationis qua ex voto castitatis obstringebatur, et ita in memoriam revocans obligationem remissam ex bonitate divina, religiosius se gerat. Quod si secus facit executor, invalide agit.

In praefiniendis autem huiusmodi poenitentiae operibus executor secundum rectam rationem, remotis finibus humanis, perpendere debet quae profutura sunt animae voventis et illa imponere; in quo efficiendo hanc regulam, quam praelaudatus P. Leo tradit, in mente habeat, quod nempe ea praescribenda sunt opera poenitentiae, quae conveniant conditioni et circumstantiis voventis eiusque statui coniugali, adeo ut non sint executionis valde difficilis. Alias ad illa implenda vovens non tenetur usque dum alteram obtinere possit commutationem, quia magna difficultas impossibilitati aequiparatur.

Porro haec opera, subrogata in locum voti, tamdiu adimpleri debent, quamdiu durat subrogatio: et ideo dissoluto matrimonio per mortem coniugis, illico vovens ab onere satisfaciendi illis manet liber et incidit in plenam prioris voti obligationem.

## III.

### Ad hoc ut matrimonium semel dumtaxat legitime contrahat.

Haec clausula denotat quod dispensatus voti obligatione adhuc adstrictus manet quoad duo; quorum primum est, quod si extra usum matrimonii delinquat, lethaliter peccat nedum contra divinum praeceptum, sed etiam contra votum. De qua re debet executor monere voventem in commutatione et dispensatione. Alterum est quod praemortua coniuge, votum quoad omnes suas

obligationes adeo reviviscit, ut si ad alia vota nuptialia transire cupiat, necesse sit ut alteram dispensationem petat (1).

Appendicis loco heic abs re non erit nonnulla disserere de facultate, quae Episcopis conceditur Sacrae Congregationi Fid. Prop. subiectis, dispensandi vel commutandi vota.

In ea facultate dicitur *dispensandi et commutandi*, i. e. dispensandi, si causa iusta dispensandi adsit, commutandi vero, si non existunt causae sufficientes pro dispensatione totali.

Deinde dicitur *vota simplicia non reservata*.Quinque reservatis, de quibus loquuti sumus pag. 57, aequiparantur vota, ut loquitur Bened. XIV Const. *Benedictus Deus* 25 Dec. 1750 « obligatoria quae a tertio acceptata fuerunt, seu in quibus agitur de praeiudicio tertii, » ex. gr. vota simplicia Congregationum religiosarum etiam ad tempus tantum emissa. Reservatum quoque est votum iuramento firmatum, quod emittitur ab iis qui ad titulum missionis ordinantur. V. Bened. XIV Const. *Convocatis* 1 Nov. 1749, § 32. Quare siquis, eo voto per Summum Pontificem non relaxato, ingrediatur ac profiteatur religionem, professio nulla est. Ita Alex. VII Const. *Cum circa* 20 iulii 1660.

In iisdem facultatibus dicitur *et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis*. Castitatis scilicet perfectae et perpetuae, et religionis in qua vota solemnia emittuntur ingrediendae; nam iure proprio Episcopus relaxare potest votum intrandi religionem seu Congregationem in qua emittuntur vota tantum simplicia (Rescript. S. Poenit. ad Episc. Cenom. 2 Ian. 1836). Item votum castitatis ad tempus, vel etiam perpetuae, sed non perfectae i. e. non excludentis omnem

---

(1) Nimirum super voto simplici perpetuae castitatis non conceditur a Sac. Congr. absoluta dispensatio, sed dumtaxat commutatio cum dispensatione mixta, ea praesertim conditione, quod si mulier viro suo supervixerit, alias nuptias minime inire possit absque nova S. Sedis commutatione. Quod quidem clarius exprimitur a Bened. XIV in Const. *Convocatis* 25 Nov. 1749, in qua amplissimas facultates concedit Poenitentiariis pro anno sancto, sed circa votum perpetuae castitatis ita loquitur: " votum tamen perpetuae castitatis non nisi mulieribus (pro hominibus voluit illud reservatum) ita commutare possint ob periculum ...., et quidem tantummodo ad effectum nubendi, easdem monendo facturas contra idem votum, si extra usum matrimonialem delinquant, et mansuras eodem prorsus voto castitatis obstrictas, si marito supervixerint. „

actum venereum, ut ex. gr. votum virginitatis tantum, non nubendi, etc. (1).

Quaeres num Episcopus vi facultatis dispensandi in voto castitatis simplici possit dispensare a voto castitatis saltem religiosos vel religiosas vota tantum simplicia emittentes. Respondemus quod si agitur de Congregatione quae non est dioecesana, Episcopus non potest. Ita dicas de Congregatione quolibet sensu a S. Sede approbata, cum hoc in casu votorum dispensatio S. Sedi aut, ut in aliquibus Congregationibus, Superiori Generali reservetur. Si agitur de Congr. dioecesana, hoc est de Congregatione, quae non uni superiori vel antistitae generali paret nec in pluribus dioecesibus diffusa est, et sola permissione Ordinarii existit eiusque auctoritati subiacet, tunc vel vota sunt perpetua, vel temporanea. Si perpetua, sunt reservata S. Sedi, hinc Episcopi facultate ordinaria non possunt ab his dispensare (2); si agitur de

---

(1) Tria vota 1) non nubendi, 2) virginitatis, 3) castitatis, cum similitudinem inter se habeant, ab ipsis voventibus aliquando confunduntur, ita ut non statim pateat quale fuerit votum emissum. Quae dubitatio ex inquisitione de *obiecto* et de *motivo* voti auferri aliquando potest. Nam votum *coelibatus*, si vocem premas, habet pro obiecto quod illicitus fiat *unicus actus* ineundi matrimonii, igitur non formaliter sed consequenter tantum inducit obligationem perfectae castitatis. Votum *virginitatis* pro obiecto prohibito habet *illud primum peccatum* consummatum, quo virginitas laeditur, i. e. voluntariam seminis effusionem, si de viro agatur, si de muliere, copulam aut innaturalem corporalis integritatis laesionem culpabiliter factam. Votum *castitatis* formaliter et per se quemlibet actum castitati contrarium, sive externum sive internum, ex motivo religionis prohibitum reddit.

Si ex obiecto, quod vovens intendit, dubitatio auferri nequit, adiumento esse potest inquisitio circa motivum quod vovens intenderit. Qui enim ex voluntate *declinandi onera matrimonialia* vovit, praesumitur vovisse coelibatum, nisi aliud constet. Qui impulsus est ex desiderio specialem aureolam virginum sibi comparandi, virginitatem presse sumptam. Qui ex amore ipsius virtutis puritatis permotus est, formaliter castitatem vovisse dicendus est. Ita cl. Aug. Lehmkuhl, S. I. Theol. Mor. Tract. VIII, de Matr. Sect. III. § 4.

(2) Notandum est anno 1835 Sac. Congr. Epp. et Reg. ad Sacr. Poenit. transmisisse aliqua dubia proposita ab Episcopo Cenomanensi circa Sorores in Gallia existentes, quarum vota iam anno 1829 declaratum fuit esse simplicia. Porro tertium dubium propositum an. 1835 erat sequens: " An Ordinarius super votis a Monialibus emissis, data ratione sufficienti dispensare possit, voto perpetuae castitatis remanente. „ Et Sac. Poenit. respondit: " ex Sanctitatis Suae declaratione Episcopos Galliae rebus sic stantibus posse dispensare. „ Attamen haec resolutio, ut patet, valet pro solis Episcopis Galliae, hinc alii nequeunt eius vi dispensare in Congregationibus non mere dioecesanis.

votis temporaneis, possunt Episcopi facultate ordinaria dispensare. Attamen in primo casu, seu in casu de votis perpetuis, declaratum est a Summo Pontifice posse Episcopos ea dispensare vi facultatis delegatae, quae continetur in facultatibus Sac. Congr. Fid. Prop. concedi solitis, si ipsi graves rationes ita exigere coram Deo iudicaverint, tamen praehabita petitione Oratoris vel Oratricis, audito Superiore vel Superiorissa et consentientibus eius consiliariis, ne scilicet dispensatio forte vertat in praeiudicium tertii. Cf. Concil. Baltimorense III, Art. 93.

In aliquibus Institutis vota simplicia ita emittuntur, ut illa obligent tantum donec professus in Instituto permanserit, i. e. donec sponte discedat aut a Superiore dimittatur. In aliis vota primum ad tempus determinatum nuncupantur, quo elapso cessant.

Dum supplices preces Apostolicae Sedi exhibitae sunt ad dispensationem obtinendam a votis simplicibus in aliqua Congregatione religiosa emissis, solet ipsa primum dispensare a voto obedientiae et paupertatis, quoad vero votum castitatis iniungit ut eius solutionis petitio renovetur cum orator matrimonium initurus est. Porro dispensatis ab Apostolica Sede duobus simplicibus votis obedientiae et paupertatis, Episcopus non potest dispensare a voto castitatis quasi illud naturam voti in communitate religiosa emissi iam plene exuerit. Remanet enim tale quale antea fuit, hoc est, remanet votum emissum in Congregatione religiosa, etiamsi orator vel oratrix, solutis votis obedientiae et paupertatis, ad institutum religiosum iam non pertineat.

## CAPUT VI.

### De executione Dispensationum.

1. Nemini dubium est quin executio Litterarum Apostolicarum ab alio facta, quam ab eo cui ab Apostolica Sede dispensandi potestas fuerat commissa, prorsus irrita haberi debeat. Hinc summi momenti est accurate inquirere, cuinam delegatio fuerit facta. Idque eo vel magis quod in eiusmodi mandatis ad dispensandum exprimi non soleat proprium executoris nomen, ne dispensatio videatur commissa *industriae personae*, qua ante illius executionem defuncta, extincta maneret; sed exprimi soleat personae dignitas vel officium, quo fit ut, si haec persona ante execu-

tionem moriatur, vel ab officio et dignitate excidat, eius successor exequi dispensationem possit.

2. Ad cognoscendum vero cuinam dispensationis executio fuerit commissa, prae oculis habendum est quod Emi ac Rmi Cardinales Inquisitores Generales die 13 Iunii 1887 decreverunt supplicandum SSmo, ut attentis temporum et rerum adiunctis statuere ac declarare dignaretur quibuslibet in contrarium non obstantibus, 1) Dispensationes matrimoniales omnes in posterum committendas esse vel Oratorum Ordinario vel Ordinario Loci N. 2) Appellatione Ordinarii venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem. 3) Vicarium Capitularem seu Administratorem eas quoque dispensationes apostolicas exequi posse quae remissae fuerant Episcopo aut Vicario eius Generali vel Officiali nondum executioni mandatas, seu hi illas exequi coeperint, seu minus. Et vicissim sede iterum deinde provisa, posse Episcopum vel eius Vicarium in spiritualibus generalem, seu Officialem exequi dispensationes quae Vicario Capitulari pro executione remissae fuerant, seu hic illas exequi coeperit, seu minus, 4) Dispensationes matrimoniales Ordinario oratorum commissas executioni dandas esse ob illo Ordinario qui literas testimoniales dedit, vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis, sive domicilii, sive utriusque sponsi, sive alterutrius eorum etiamsi sponsi quo tempore executioni danda erat dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri: monito tamen, si id expediens iudicaverit, Ordinario loci in quo matrimonium contrahendum erit. 4) Ordinario praedicto fas esse, si ita quoque expedire iudicaverit, ad dispensationis executionem delegare alium Ordinarium, loci praesertim ubi sponsi actu degunt. Quae omnia Smus D. N. Leo XIII, probavit die 11 Augusti eiusdem anni.

3. Ad haec, notandum est: 1) Vicarius Generalis dispensationem exequi potest, quamvis Episcopus nondum sit consecratus, sed solum confirmatus, imo etiam quamvis Episcopus excommunicatus aut suspensus existat. 2) Si Episcopus plures dioeceses habeat et plures Vicarios Generales, tunc si unus ex his ab altero non dependeat, ille intelligetur delegatus, ad cuius dioe-

cesim oratores pertinent. Quod si unus ex Vicariis sit principalior ac ipsi reservatae sint causae matrimoniales plurium dioecesium, is deputatus ad dispensandum censebitur. 3) Vicarius Generalis dispensans tempore quo communiter ignoretur eius ordinariam iurisdictionem expirasse, valide dispensabit, ipsiusque gesta valida censenda erunt; secus autem dicendum, si in officium intrusus sit absque titulo.

Quinam vero exequi debeant dispensationes pro foro conscientiae a Maiori Poenitentiario expeditas, diximus loquentes de clausulis.

4. Executor quicumque deputatur, nulla pollet iurisdictione nec potest exequi Apostolicas Litteras antequam exemplar ipsarum originale exhibitum ei fuerit; quod si illud forte perierit, alterum authenticum earumdem exemplar impetrandum erit. Quare si dispensaret ante exhibitas litteras, etiamsi sciret eas fuisse ab oratoribus obtentas et in curia expeditas, invalida foret dispensatio. Sac. Congr. Conc. die 12 Ian. 1606. Potest vero delegatus seu executor etiam extra dioecesim existens exequi Litteras Apostolicas sibi commissas, dummodo alteri idoneo viro commoranti in dioecesi oratorum subdeleget auctoritatem capiendi informationes, audiendi testes atque conficiendi processum, si hic necessarius sit, ceteraque quae sunt iurisdictionis contentiosae peragendi.

5. His de delegati persona praestitutis, exponendus est modus quo delegatus dispensationem exequi debeat. Iamvero postquam Litterae Apostolicae exhibitae fuerint delegato et ab eo recognitae, ipse ut plurimum de precum veritate examen instituere debet ne forte si preces veritate non nitantur, dispensatio sit invalida. Quoties vero executori nulla ratio dubitandi de veritate precum subest, non tenebitur examen illud instituere (1). Cum vero examen necessarium est, in primis verificare debet nomen et cognomen utriusque supplicantis ex fide collati baptismatis a Parocho data et ex probis testibus. Et si error adsit, videndum erit an substantialis sit vel non; et siquidem comperiatur errorem substantialem esse in nomine et cognomine, executor decernere tenetur procedi non posse ad ulteriora, cum obstet obreptionis vi-

(1) In praesens sublata clausula " si preces veritate niti repereris „ et substituta hac alia " si vera sint exposita „ executor de veritate precum examen instituere non semper debet, quamvis invalida sit dispensatio, si preces veritate non nitantur.

tium, atque iterum recurrendum est ad Apostolicam Datariam ut novae litterae in forma *perinde valere* obtineantur.

Secundo verificare debet an error contigerit circa impedimenta in litteris expressa, qua in re in primis audiendi sunt ipsi nupturientes, qui veritatem aperire tenentur; excipitur tamen, si aliud obstet impedimentum occultum, super quo oratores dispensationem iam impetraverint in foro conscientiae. Hoc in casu non tenentur detegere impedimentum adhuc latens a quo iam soluti sunt, etenim reapse tempore quo oratores in casu interrogantur, impedimentum amplius non obstat, et ideo non mentiuntur negative respondendo. Secus vero res procedit, si curreret fama publica de illo impedimento, aut ex testium depositionibus vel ex unius testimonio aliis accedentibus indiciis constaret; in tali siquidem eventu oratores tenentur fateri veritatem, quia dispensatio illa impetrata pro foro interno non suffragatur in foro externo.

Praemissa depositione ipsorum oratorum collectisque documentis ab ipsis exhibitis, necesse est ut delegatus ab aliis quoque fide dignis se diligenter informet, qui maiorem illorum notitiam habere solent, ex. gr. parentes, vicini etc. Collectis probationibus, delegatus diiudicare debet: 1) an error contigerit in expressione impedimentorum connubialium quae in narrativa apostolici mandati leguntur, et 2) an aliud obstet, quod reticitum fuit in precibus, vel postmodum contractum fuerit. Si comperiat irrepsisse errorem in numero impedimentorum, quatenus ex pluribus bona fide enunciatis unum non subsistit, concessio valida est quoad impedimenta narrata, quae reipsa subsistunt. Si error versatur circa genus impedimenti, dum unum pro alio expressum deprehendatur, prorsus irritae sunt litterae, sive bona, sive mala fide oratores ducti fuerint, idque licet impedimentum, super quo impetrata est dispensatio, sit fortius illo, super quo petenda erat. Si erratum fuit in gradibus, et dispensatio impetrata fuit super *propinquiori* pro *remotiori*, valida erit dispensatio; si secus, denuo confugiendum est ad Apostolicam Sedem. Praeter haec examinandum est an aliud impedimentum, sive dirimens sive tantum impediens, in narrativa litterarum apostolicarum non expressum obstet. Denique examinanda est causarum adductarum veritas (1).

(1) Quid si executor inveniat alterum ex oratoribus vel utrumque esse haereticum, et id reticitum fuisse? Ex Const. Bened. XIV *Magnae nobis* iubetur executionem suspendere et rem Apostolicae Sedi renunciare, et si secus fecerit, reprehenditur quod *dispensationem ipsam indebitum effectum habere permiserit*

Postquam examen institutum est, delegatus ad ferendum dispensationis et legitimationis prolis (quando opus est) decretum deveniet, quod decretum scripto conficiendum est, non tamen sub poena nullitatis. (1) In quo decreto conficiendo curare debet delegatus, ne aliquid omittat ex iis, quae necessario exprimenda sunt. Etenim 1) non tacite sed *expresse* apostolicae litterae executioni mandari debent. 2) Verbis claris minimeque ambiguis exarandum est decretum. 3) In decreto oratores dispensari debent ab impedimentis quibus sunt irretiti, perperam enim ageret executor si tantummodo exprimeret licere ipsis matrimonium inire, vel eam

---

(1) I. Quaesitum est utrum executor ad validitatem executionis quatuor teneatur ponere actus seu decreta distincta, id est: actum primum, quo parochum vel alium deleget ad verificationem causarum; actum secundum, quo executor, sive per se, sive per alium, sponsis impertiatur absolutionem, et poenitentiam imponat: actum tertium, quo sponsis scandalum reparandum iniungatur; actum quartum, quo dispensatio et prolis legitimatio concedatur?

Et quatenus negative:

II. Utrum sufficiat ponere duos actus seu decreta, scilicet primum actum seu decretum, quo parochus seu alius delegetur ad verificationem causarum; secundum actum seu decretum, quo sponsis sive per executorem, sive per alium impertiatur absolutio, et imponatur poenitentia, scandalum reparandum injungatur, dispensatio concedatur, et prolis legitimatio; et quidem ita, ut dispensatio et legitimatio concessa intelligatur sub conditione quod sponsi prius absolutionem obtinuerint, et reparaverint scandalum?

III. Utrum ad validitatem executionis requiratur nova et canonica verificatio causarum vi Litterarum Apostolicarum instituenda, casu quo Ordinarius de causis dispensationis exactam et per juratos testes habitam informationem coeperit antequam preces, pro obtinenda dispensatione Sanctae Sedi porrexisset?

IV. Utrum verba " in utroque foro absolvas „ ita intelligenda sint, ut requiratur duplex absolutio separatim impertienda, una scilicet in foro externo, alia in foro interno: — an ista verba ita intelligenda sint, ut requiratur una tantum absolutio in foro externo impertienda, quae valeat etiam pro interno?

V. Utrum casu, quo separatio sponsorum fieri possit, ad effectum reparandi scandalum, ad validitatem executionis sufficiat, ut executor aliis mediis efficacibus scandalum reparandum curet?

Sacra Poenitentiaria, propositis dubiis mature perpensis, respondit: die 27 Aprilis 1886.

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Sufficere, ita tamen ut dispensatio, et legitimatio prolis ab ipso tantum executore effici possit.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad V. *Expedire, ut scandalum removeatur per separarationem, sed non prohiberi, quominus alii modi adhibeantur, qui prudenti iudicio Ordinarii sufficiant ad illud removendum.*

formam adhiberet quae adhiberi solet pro nuptiis sine dispensatione contrahendis (1).

Si in mandato vel indulto apostolico dicitur: « in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod concessae sunt », id est faciendum, et si insuper addatur « alias nullae sint dispensationes » satis patet hanc temporis etc. insertionem ad *valorem dispensationis* requiri. Si vero haec clausula « alias nullae sint » in indulto apostolico non occurrit, tenor, fac. ap. et expressio temporis sunt quidem omnino servanda, sed non requiruntur ad valorem ut si per telegraphum ex necessitate danda est dispensatio. Ita ex resp. S. Officii, Summo Pontifice confirmante 15 iunii 1875, ad Vic. General. S. Ludovici in America. Quamvis litterae executioni mandari debeant in scriptis, oretenus tamen data dispensatio sua validitate non destituitur, ut verius affirmat Pontius.

Denique eiusdem decreti transumptum partibus tradendum est, nec inutile erit mentionem facere de precum verificatione rite peracta ac de ceteris expletis quae in litteris apostolicis praescripta sunt (2).

---

(1) Sunt auctores qui fortasse non improbabiliter dicunt, quod quamvis expediat omnino dispensationem dare expressis verbis, dicendo scilicet *dispensamus*; attamen si delegatus oratoribus renunciaverit tantum, posse ipsos matrimonium contrahere, vel rescripserit ut matrimonium ipsi ineant vel ab iis contrahatur, id irritam non reddere dispensationem maxime si iis verbis utatur, ex quibus merito concludatur, facultatem contrahendi in casu nasci ex dispensatione apostolica.

(2) Placet hic aliqua notare circa *multiplicitatem impedimentorum*. In primis observa gradum consanguinitatis vel affinitatis *simplicem* vel *mixtum* duplici ratione intelligi posse 1) ita ut adiectivum *simplex* excludat solam mixtionem graduum inaequalium, quo sensu ex. gr. Petrus et Anna inter se consanguinei vel affines erunt in secundo gradu simplici, sive ex uno sive ex duplici capite, quando unus alteri non est consanguineus vel affinis in gradu sive propiori sive remotiori prae alio; erunt vero secundo gradu mixto, si ipsi sint consanguinei vel affines in gradu inaequali, eoque vel secundo ex parte alterius contrahentium attingente primum, vel tertio aut quarto ex parte alterius contrahentium attingente secundum; 2) *simplex* eo sensu dici potest, quod nullo modo sit multiplex, nec in sensu iam exposito ratione gradus diversi propioris vel remotioris, nec ratione eiusdem gradus quacumque ex causa multiplicati, nec ratione impedimenti specie diversi, puta consanguinitatis mixtae cum cognatione spirituali.

Notandum insuper est quod in formulis facultatum voces *gradus simplex* et *mixtus* intellectae de graduum inaequalitate comprehendunt non eumdem

Dispensatio pro foro tantum conscientiae in confessione viva voce facienda est. Hinc postquam executor a poenitente electus perpenderit an sibi qualitates sint ad exequendum requisitae, monere debet poenitentem de necessitate confitendi, illiusque sacramentalem confessionem excipere; debet insuper ipsum poenitentem examinare, inspicere an preces veritate nitantur, et an aliud lateat impedimentum; praeterea videre an sine scandalo fieri separatio possit, eique iniungere ut occasionem proximam

---

gradum mixtum cum aliquo propinquiori, nisi id expressis verbis dicatur, sed cum aliquo remotiori tantum. Sic ex. gr. facultas dispensandi in tertio simplici et mixto non tribuit potestatem dispensandi in tertio quando ex. gr. ex parte unius contrahentium attingit secundum, sed solummodo quando vel ambo contrahentes se contingunt in tertio, vel unus a communi stipite distat tertio gradu, alter quarto.

His praemissis, animadvertimus quod, ex declaratione Supr. Univ. Inquis. edita die 12 sept. 1886, sine speciali indulto, usus plurium facultatum cumulari non potest in eodem casu. Hinc Episcopi dispensare nequeunt in impedimentis diversis, sive impedientibus, sive dirimentibus, in eadem persona cumulatis, quamvis super unoquoque impedimento seorsim sumpto dispensandi facultas ipsis suppetat. Ex responso tamen Sup. Univ. Inq. supra relato pag. 52, patet Episcopos qui carent indulto cumulandi, dispensare posse in consanguinitate vel affinitate orta ex multiplici stipite.

Indulto speciali dispensandi in impedimentis cumulatis, i. e. duobus simul concurrentibus, Episcopus uti non potest dum matrimonium sanat in radice. Ita S. C. Fid. Prop. 30 ian. 1882 respondit Episcopo Burlingtoniensi, qui vi facultatum poterat matrimonia sanare in radice, ac vi indulti specialis poterat dispensare in cumulatis: " Relatis Ss.$^{mo}$ Domino precibus Ampl. Tuae quibus petis facultatem sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob duorum impedimentorum concurrentiam, Sanctitas Sua non opportunum duxit hanc facultatem concedere. Oportet igitur ut Ampl. Tua in singulis casibus recurrat ad S. Sedem; matrimonia vero quae tu, bona fide putans facultatem habere, sanasti, eadem Sanctitas Sua benigne sanare dignata est. „

Solet Episcopis indulgeri ad triennium vel biennium ut facultatibus quibus gaudent dispensandi super impedimentis matrimonii uti queant etiam quando haec impedimenta cumulantur. Porro si facultates ipsae decennales vel quinquennales expirent antequam expiret facultas triennalis cumulandi, prorogatis illis facultatibus ad aliud decennium vel quinquennium, cessat ne facultas cumulandi, vel adhuc perdurat pro toto illo tempore quod superest ad triennium vel biennium complendum? Huic quaesito respondit Congr. Supr. Inq. Fer. IV, 2 iulii 1884: " Facultatem cumulandi perdurare pro toto tempore ad illud triennium vel biennium complendum. „ In praesens autem facultas cumulandi solet concedi pro tempore quo durant facultates formularum.

Episcopus indulto dispensandi in cumulatis munitus ex ipso indulti tenore poterit cognoscere num de duorum tantum vel de plurium quam duorum impedimentorum concurrentia intelligendum sit.

peccandi, si adhuc exstat, amoveat; et donec auferatur dispensationem differre; demum iniuncta eidem poenitentia, ipsum absolvere a censuris aliisque poenis, ac dispensare in actu ipso sacramentalis confessionis, in eodemque actu prolem, si qua sit, decernere legitimam, ac instruere poenitentem de matrimonio rite contrahendo, ut infra exponetur. Confessarius autem non poterit litterarum originale exemplar asservare, multoque minus restituere poenitenti (1), sed illud lacerare seu comburere tenetur.

Praetereundum hic non est debere delegatum, si impedimentum unam tantum partem afficiat, ut ex. gr. votum castitatis, dispensationem in eam tantum exequi. Quodsi utrique parti quidem commune sit, sed unius tantum culpam habeat coniunctam, in hanc solum partem eam exequetur, quae alteri vel statim, si scilicet conscia sit impedimenti, vel postmodum cum ad eius notitiam deveniet, manifestare debet dispensationem fuisse obtentam et executioni mandatam. Si vero impedimentum uterque nupturiens cognoscat et uterque culpabilis sit, in utramque partem executioni mandari dispensatio debet; quamvis enim, impedimento sublato quoad unam partem, eo ipso sublatum sit quoad alteram, nihilominus congrua poenitentia in clausulis contenta utrique imponenda est.

Quid vero si una tantum pars ad Confessarium accedat, cui dispensationis executio commissa est? Porro Sac. Poenit. die 15 Nov. 1778 ad propositum dubium circa executionem litterarum suarum, quibus committitur facultas dispensandi super occulto matrimonii impedimento cum duobus eiusdem impedimenti consciis, respondit » quod quamvis huiusmodi litterae dirigantur Con-

(1) Exempla formulae quibus Confessarius uti potest sunt sequentes vel earum similes: 1) Si agatur de matrimonio nondum invalide inito: " *Et insuper auctoritate Apostolica (vel per Episcopum accepta) mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento...* (illud indicatur), *ut eo non obstante, matrimonium cum dicta muliere, servata forma Concili Tridentini, contrahere et in eo manere libere possis et valeas. Eadem auctoritate prolem suscipiendam (vel susceptam et suscipiendam) legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris etc. Passio D. N. I. C.* etc.

Haec ultima pars, si absolutio a peccatis non fuit data, omittitur. Quando agitur de matrimonio iam contracto, omittitur mentio formae Tridentinae et inseritur " *de novo* „ et " *sive susceptam* „. In casu sanationis in radice dicitur: *matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido prolemque susceptam et suscipiendam legitimam fore nuntio et declaro* „. Mutatis mutandis, haec, eadem formula adhiberi potest pro voto commutando, pro petendo debito. Ceterum quaevis forma quae sensum supra expressum continet, adhiberi potest.

fessario per latores eligendo, necessarium tamen non est, quod unus idemque Confessarius ab utroque eligatur ad eas litteras exequendas; sed potest unus Confessarius ab uno ad id eligi, alter ab altero. Tunc autem prior Confessarius post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet litteras Sac. Poenitentiariae poenitenti restituere, ut per illum alteri parti tradantur, quae similiter easdem litteras secum exequi faciet per alium Confessarium, cuius erit in huiusmodi casu, confecto negotio, litteras lacerare. Et quamvis impedimentum eiusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum, maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus mens Sacrae Poenitentiariae est ut erga utramque personam litterae executioni mandentur. » Atque iterum dubio proposito: « an quando non est idem Confessarius sponsi et sponsae qui delicti conscii sunt, debeat uterque Confessor exequi dispensationem in respectivum poenitentem prout declaratum fuit die 15 Nov. 1778, Sacra Poenitentiaria die 7 Februarii 1832 respondit *Affirmative* non ad validitatem dispensationis, sed ut utrique coniugum salutares poenitentiae imponantur » Verum in praesens praedicta dispositio locum amplius non habet et in fine rescripti addi solet a Sac. Poenitentiaria: « facta tibi potestate his litteris utendi etiam cum altera parte (viro vel muliere) si ad te pro absolutione accesserit. »

7. Superest ut expendamus quibus modis rescripta dispensationum extinguantur. Quatruplici modo id fieri potest: 1) per mortem concedentis; 2) per mortem illius cui delegata est facultas dispensandi; 3) per renuntiationem indultarii seu illius cui concessa est; 4) per revocationem.

De singulis haec notare placet: 1) Per Pontificis mortem indubium est non extingui dispensationes concessas a Sacra Poenitentiaria pro foro conscientiae, quamvis res adhuc integra sit; neque illae cessant, si maior Poenitentiarius suum munus dimiserit. Quoad dispensationes per Apostolicam Datariam concessas, quandoquidem in morte Pontificis Datariae potestas cessat, eo ipso etiam expirant dispensationes pro quibus litterae nondum sunt confectae. Cf. Riganti *In Reg. 52 Cancelleriae Apost.* Si agatur de litteris iam confectis, non cessant quae expeditae fuerant in *forma gratiosa.* Quae vero expeditae sunt in *forma commissaria*, si res non est amplius integra, non extinguentur in morte Pontificis. Si adhuc integra, quamvis a nonnullis Doctoribus dubitatum sit an cessent, dicendum est cessare. Id ipsum sentiendum est de litteris Sacrae Poenitentiariae expeditis pro foro externo.

Per obitum Pontificis Maximi non cessat auctoritas dispensandi, quamvis re adhuc integra, si generatim et indeterminate fuit concessa in favorem dispensaturi, nullo nomine expresso eorum qui dispensandi sunt. Hinc sequitur Indulta, quae a Summo Pontifice conceduntur Episcopis vel Vicariis Apostolicis ad dispensandum a determinatis impedimentis seu gradibus ad quinquennium vel triennium, morte concedentis minime expirare.

2) Per mortem personae, cui delegata est commissio rexalandi impedimentum, expirat delegata potestas quae facta sit industriae personae, non vero quae facta fuerit dignitati vel officio eiusdem, dignitas enim perpetua est et renuntiatione vel morte personae non extinguitur, sed ad successorem transmittitur. Ad dignoscendum vero, utrum commissio personalis sit an vero realis, perpendendum est an delegatio in Litteris fiat expresso nomine delegati vel tantum expressa eius dignitate et officio. At in primis sedulo expendenda sunt rescripti verba, ut dignoscatur an ea indicent delegationem esse personalem, etiamsi solius dignitatis vel officii delegati mentio fiat. Hinc si Romanus Pontifex auctoritatem dispensandi alicui dignitati, non expresso personae nomine, committeret et interim declararet hanc delegationem abs se fieri ob specialem personae ea dignitate praeditae, puta scientiae et sanctitatis opinionem, delegatio haec personalis censenda esset.

3) Si orator, impetratis Apostolicis Litteris, declaret se nolle illis uti ac renuntiet penes ipsum Pontificem dispensantem, Litterae ei amplius prodesse non possunt; secus vero dicendum, si renuntiet apud delegatum vel ad longum tempus dissimulet. Cf. Sanchez *oper. cit. L.* viii, *d.* xxxii, *n. 4.* De Iustis *L. I. c. 6.*

Prima dispensatio, quam nupturientes consanguinei obtinuerint, prorsus extinguitur sive executioni a delegato mandata fuerit, sive non, quoties mutato consilio inter se contrahendi, eorum alteruter supplicem libellum Romam mittat ad impetrandam secundam dispensationem ut scilicet contrahat cum alio consanguineo, atque vel declarat se renuntiare primae dispensationi vel etiam simplicem eius mentionem facit; hoc enim in casu dispensans praesumitur loco primae quam revocat, alteram dispensationem impertiri suamque voluntatem quoad primam retractare. Hinc sequitur, soluto matrimonio inito vi secundae dispensationis, non posse coniugem superstitem prima adhuc dispensatione uti ad nuptias ineundas cum priori consanguineo. Imo valet secunda

dispensatio, etiamsi in supplici libello facta non fuisset mentio primae dispensationis obtentae, quia per hanc posteriorem priori tacite renuntiatum est in manus Pontificis. Cf. Sanchez, *L. 8, d.* xxxii, *n. 3.*

Quod si dispensatione obtenta partes sive ante sive post ipsius executionem transeant ad alias nuptias in quibus opus non est dispensatione, solutis his nuptiis, partes eaedem adhuc habiles sunt ad ineundum primum matrimonium vi dispensationis iam prius obtentae et qua usi non sunt.

4) Denique cessat dispensatio per revocationem dispensantis. Indubium siquidem est, posse Romanum Pontificem revocare dispensationem antequam matrimonium initum fuerit, cum quousque suum non sortiatur effectum ad quem concessa est, semper a voluntate dispensantis pendeat. Non solent autem RR. Pontifices dispensationes impertitas revocare absque gravi causa. Nequa fas est cuilibet inferiori, qui per acceptam generalem facultatem dispensandi a determinatis impedimentis aliquem dispensavit, impertitam gratiam absque causa revocare. Talis enim retractatio sine legitima causa neque licita neque valida foret, quandoquidem imponere oratoribus qui iam dispensati sunt iterum impedimenti legem, solius Romani Pontificis esse potest.

Aliquando evenit, ut litteris apostolicis dispensationis *nondum executioni datis*, oratores quorum favore expeditae sunt ex errore contrahant in forma Tridentini. Porro quaesitum est a Sac. Poenitentiaria an Ordinarius, re comperta, possit valide easdem litteras apostolicas nihilominus exequi ut partes iterum coram Parocho et testibus se sistant et consensum renovent? Sacra Poenit. die 27 Iunii 1885 respondit: Affirmative sic benigne annuente SS.mo D. N. Leone PP. XIII.

Quoad revocationem decreti quae fiat a delegato nota: si delegatus pro foro externo servata sui *mandati forma* pronuntiaverit non esse dispensandum ex eo quod, errore ductus, vel litteras subreptitias vel sibi non commissas esse reputaverit, non potest deinde errore cognito suum decretum retractare nec in eamdem dispensationis causam se ingerere. Idipsum dicendum de successore in eius dignitatem vel officium. In hoc tamen differt delegatus ab Ordinario, huic siquidem talis retractatio utique competit eo quod iudicat iure proprio; similiter differt in hoc delegatus in foro externo a delegato *pro foro* tantum *conscientiae*, siquidem confessarius, qui ex errore pronuntiavit non esse dispensandum, poterit semper suam hanc sententiam retractare.

E contra si delegatus in decreto ferendo sui *mandati formam non servaverit*, tunc veluti non usus iurisdictione sua censetur ac proinde poterit suum decretum retractare et alterum ferre iuxta Apostolici mandati formam.

Quid vero si delegatus dispensandum esse pronunciavit et decretum ipso iure nullum emisit? poterit ne unquam decretum illud retractare? Quoad hanc quaestionem Benedictus XIV, dum munus secretarii obiret Sac. Cong. Conc., in causa Pratensi Matr. (d. 4 Iulii 1722) sequentem doctrinam tradidit: « Dispensatio Ordinario commissa et ab isto executioni mandata, nequit retractari, licet Ordinarii sententia fuerit iniusta, nisi a principio rescriptum fuerit obreptitium cum dolo et fraude extortum: aut testes adhibiti super veritate, fuerint corrupti; aut denique subreptio fuerit notabilis in tacenda veritate. » In hoc vero triplici casu delegatus nequit denuo exequi suum decretum, sed oratores impetrare debent litteras *perinde valere.*

Tandem si post executionem dispensationis aliud impedimentum detegatur quod iam ante executionem extabat, oportebit dispensationem petere a S. Sede omnium impedimentorum, et non sufficit recurrere pro solo recens detecto. Quod si impedimentum exortum fuerit post executionem et antea non extiterit, necessarium erit dispensationem petere pro noviter tantum detecto, non vero pro aliis. Quoad vero novum impedimentum habita dispensatione, detectum sive ante, sive post matrimonium contractum, praestiterit heic aliqua exponere ad praxim perutilia. Equidem si Parochus ante matrimonium contractum extra confessionem noverit impedimentum publicum eiusdem celebrationi obstare, sive sit dirimens sive impediens, indubitati iuris est, eidem assistere non posse, sed debere sponsos monere ut matrimonium differant ac interim dispensationem obtineant. Quod si extra confessionem, licet privata scientia, dignoscat impedimentum occultum, tenetur pariter impedire celebrationem, ea tamen lege, ut si impedimentum infamiam pariat prudenter se gerat sub aliquo praetextu rem celans. Ac iuxta Benedictum XIV, De Syn. Lib. 6, Cap. 7, n. 7, non solum tutior, sed communior sententia est, quod etiam in casu de impedimento occulto impediente, debeat Parochus suam assistentiam nuptiarum celebrationi denegare. Quod si Parochus impedimentum occultum detegens, sciat contrahentes dispensationem obtinuisse in foro conscientiae, assistere debebit, dummodo eiusmodi impe-

dimentum ab aliquo denuntiatum ei non fuerit, siquidem hoc in casu ad forum externum eius notitia transiisset, pro quo non suffragatur dispensatio obtenta pro foro conscientiae. Cf. Sanchez, De Matr. Dist. 15, n. 13.

Si Parochus ex sola confessione impedimentum noverit, monere debet poenitentem in confessione ipsa ut a nuptiis ineundis desistat et si impedimentum publicum sit, eum monere ut sibi extra confessionem impedimentum ipsum pandat. Si monitionem spernat, eum absolvere non poterit, si tamen ad contrahendum accesserit, suam assistentiam praestare ob sanctitatem sigilli omnino tenetur.

Quid vero in casu quo impedimentum detegatur in confessione cum, rebus omnibus ad ineundum matrimonium paratis, invitato parentum coetu, ipsa die ad nuptias praefixa, nulla ne ad Ordinarium quidem pro dispensatione pateat via, et absque gravis scandali periculo suspicionisque infamiae matrimonium differri non possit? Sunt qui putant in hoc casu impedimentum occultum et iuris ecclesiastici cessare ac proinde valide ac licite matrimonium iniri posse, postea tamen ex reverentia legis vel ad cautelam esse petendam dispensationem, et quidem si fieri potest ante consummationem, renovandumque esse matrimonialem consensum. Sunt alii qui asserunt licere in hoc casu cum quadam simulatione matrimonium contrahere, quamvis invalidum, cum promissione illud non consummandi, nisi dispensatione obtenta. Sunt alii denique qui suadent ut matrimonium ineatur conditionatum, adiecta scilicet conditione, si Apostolica Sedes dispensaverit. Quod tamen utrumque vix fieri posse constat, si altera tantum pars impedimenti gnara sit. Ex his sententiis prior praeferenda videtur.

Quoad impedimentum post initas nuptias detectum, quadruplex fieri hypothesis potest: 1) quod impedimentum sit publicum et utrique parti notum, 2) quod sit occultum et utrique notum, 3) quod sit occultum et utrique ignotum, 4) quod sit occultum et uni tantum parti notum.

Si impedimentum sit publicum et utrique parti notum, iniungi debet thori et cohabitationis separatio, qua praemissa, vel revalidari matrimonium debet, vel declarari nullum. Porro declarari nullum necessario debet, cum res sit de impedimento indispensabili, cum vero de dispensabili agitur, expedit nihilominus illud nullum declarare cum non existente prole, tristis nuptiarum

exitus praevidetur, vel cum dissolutio civilis futura prospicitur. Cf. Pii VIII *Instr.* 27 per Card. Albani 27 Martii 1830 ad Archiep. Coloniensem.

Si impedimentum sit occultum et utrique parti notum, praemitti separatio thori debet, non vero cohabitationis, nisi ex partium dispositione et experientia proximum peccandi periculum existat, quo in casu practextu aliquo separatio etiam quoad habitationem obduci debet. Ea praemissa, si impedimentum est indispensabile, putati coniuges a confessione de nullitate matrimonii monendi sunt et obligandi ut ad tollendum scandalum separationem in foro externo petant, nisi forte, quod admodum raro fieri posse constat, locus sit cohabitationi tamquam frater et soror. Si impedimentum est dispensabile, item vel nullitatis declaratio petenda est, vel matrimonium validandum.

Cum impedimentum est occultum et utrique parti ignotum et indispensabile, si monitio profutura videtur, moneri debent partes. Si monitio profutura non est, partes in bona fide relinquendae sunt. Quod si una pars moneri potest, alia vero non, et impedimentum est indispensabile, regulariter neutra monenda est. Quod si impedimentum est dispensabile, relinqui item sponsi in bona fide possunt, vel etiam sanatio in radice petitur, quae si obtenta fuerit, monetur illa pars quae moneri potest, ut hac sanatione in radice applicata, novum consensum praestet.

Si impedimentum est occultum et uni parti notum, tunc si impedimentum est indispensabile, pars conscia debet alteri parti nullitatem patefacere, qua peracta non restat nisi aut rarissime habitatio ut frater et soror aut nullitatis declaratio. Si impedimentum est dispensabile, tunc si non adsit periculum gravis incommodi et si impedimentum non proveniat ex crimine partis quae notitiam ipsius impedimenti habet, ipsa debet manifestare alteri parti nullitatem et dispensatio obtinenda est. Si vero adsit gravis incommodi periculum et impedimentum proveniat ex culpa eius, monitio facienda non est, sed petenda dispensatio vel sanatio in radice, prout altera pars praevideatur consensum renovatura vel non. Cf. cl. H. Feije op. cit. Cap. 29, qui more suo, egregie hanc quaestionem pertractat.

## CAPUT VII.

### De Matrimonii revalidatione.

Postquam de dispensationibus in impedimentis matrimonialibus superius pertractavimus, rectus ordo postulat ut de matrimonii revalidatione agamus. Iamvero matrimonium invalidum esse potest vel 1) ob solum defectum consensus substantialis: vel 2) ob defectum formae praescriptae: vel 3) ob inhabilitatem partium; hinc inquirendum est quomodo in triplici enuntiata hypothesi matrimonium convalidetur, quod tribus distinctis paragraphis breviter praestabimus.

§ I. — *De revalidatione Matrimonii irriti ob solum defectum consensus.*

Matrimonium irritum ob solum defectum consensus, revalidatur per simplicem ipsius consensus renovationem, et quidem utriusque partis, si utraque non consensit, unius tantum, si una solum vere non consensit, dummodo tamen alia consensum praestitum non revocaverit. Ad hanc vero revocationem adstruendam non sufficit dispositio interpretativa, qua si nullitatem sciret, non credatur consensura, sed requiritur argumentum revocationis. Nihilominus tutius etiam in hoc ultimo casu erit ut alterius quoque partis consensus obtineatur, idque si fieri potest post certiorationem de matrimonii prius contracti nullitate.

§ II. — *De revalidatione Matrimonii irriti ob defectum formae praescriptae.*

Extra dubium est, matrimonium invalidum ratione clandestinitatis, ineundum esse coram parocho et duobus vel tribus testibus, nisi ab Apostolica Sede dispensatio obtineatur super lege tridentina.

Iam si coniuges ambo non renuant se sistere coram parocho ac testibus, coram eis revalidabitur vel *publice* vel *occulte*, prout nullitas matrimonii publica vel occulta est. Id mani-

festum est ex declaratione Cardinalis Caprara Legati a latere in Galliis in *Instructione* de matrimoniorum irritorum revalidatione edita *d. 25 aprilis 1803*, in qua haec habentur: « Si nullitas matrimonii occulta sit, seu communiter ignoretur, matrimonium coram proprio parocho, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala, contrahendum est; adnotata deinde particula in secretorum matrimoniorum libro. Si nullitas matrimonii publica sit, ad scandalum removendum matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini, celebrandum est. Quod si Ordinarius ob peculiares circumstantias iudicaverit expedire, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit et quamprimum removeatur. »

In casu vero quod vel unus vel ambo coniuges renuant se ad ecclesiam conferre, in propria ipsorum domo vel alio in loco ab ipsis electo, dummodo adsint parochus et testes graves, quorum ope, si opus deinde sit, haec convalidatio fieri possit publica, celebrandum erit.

Quod si unus renuat contrahere coram parocho, tunc si ista renuentia, ut subdit idem Card. Caprara in cit. *Instr.*, oriatur « ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens, debita cum prudentia et in charitate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui eius nomine matrimonium contrahat de more, aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho vel alteri sacerdoti, Ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur.... Si hactenus praescripta obtineri nullatenus possint et pars una ad celebrationem matrimonii iuxta superius tradita faciendam adduci nequeat..., ad dispensationem in *radice* matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice in casibus particularibus deveniri posse iudicamus, ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit. »

Denique si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat, nihil superest remedii nisi ut pro utriusque conversione oretur.

§ III. — *De revalidatione Matrimonii irriti ob inhabilitatem partium.*

Duplici modo ab Apostolica Sede convalidantur matrimonia, quae cum aliquo impedimento dirimente contracta sunt, aut nempe per dispensationem *ex nunc* seu simplicem, aut per dispensationem *ex tunc* seu per sanationem in *radice*. Circa dispensationes ad coniugium revalidandum modo ordinario, egimus in praecedentibus. Nonnulla tantum heic sunt exponenda, in praxi perutilia, quae ad renovationem consensus referuntur. Iamvero normae prae oculis habendae sequentes sunt:

I. Matrimonium irritum propter impedimentum iuris divini, si quando validari potest, per novum utriusque partis consensum post cognitam nullitatem convalidari debet. Hinc gentilis conversus qui ante susceptionem baptismi plures uxores habuerat quarum prima recusat amplecti fidem et pacifice cohabitare, poterit quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu novus utriusque consensus requiritur (S. O. 1 aug. 1759).

Quoad impedimentum iuris ecclesiatici animadvertendum est, quod si utraque pars sit impedimenti conscia, utraque tenebitur ad consensum renovandum; si una tantum pars impedimentum cognoverit, illa saltem seorsim tenetur; pars vero ignara impedimenti non deberet necessario consensum renovare ad matrimonii validitatem, si impedimentum alteram tantum partem respiceret.

II. Quoad modum renovandi consensum, extra dubium est quod quando impedimentum est publicum, dispensatio obtenta irrita erit, nisi matrimonium publice iteretur, servata Tridentini forma, etiamsi haec fuisset prius rite servata. Quod si impedimentum sit occultum et matrimonium contractum fuerit in facie Ecclesiae, renovandus erit consensus secreto, iuxta regulas (1) a

(1) Modus omnis difficultatis immunis et conformis clausulae S. Poenitentiariae proponitur a Bened. XIV. *Inst. eccl.* 87, n. 73, his verbis: " Impedimenti conscius libere declaret, haud rite matrimonio consensisse, cum primum celebratum fuit; ideoque oportere consilio confessarii atque internae tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quod si alter coniux eamdem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus coniugalis vere elicitus intelligatur. „ Et hunc ipsum agendi modum, ceteris reiectis, admittit S. Alphonsus de Ligorio dicens sufficere, si pars conscia impedimenti, isto per dispensationem sublato, sic alterum coniugem alloquatur: " Tempore quo contraxi tecum, ego verum consensum non praestiti, quem nunc praesto

probatis auctoribus traditas, et nullatenus requiritur praesentia parochi.

Nota postremo: quod si agatur de impedimento occulto et coniuges sint in bona fide et ceteroquin gravia praevideantur damna ex revelatione nullitatis coniugii, saepe relinquuntur in bona fide. Quodsi impedimentum sit actu quidem occultum, sed natura sua publicum vel certe facile vulgandum, tunc si matrimonium sanatur in radice, monenda erit saltem una pars de obtenta sanatione, cuius documentum servari debet ut, occurrente necessitate, de matrimonii validitate etiam in foro externo constare queat.

III. Devenientes iam ad secundum modum, quo matrimonium irritum convalidatur, sanationis scilicet in radice, in primis notandum est naturam huius sanationis in eo consistere, quod Romanus Pontifex revocat hac dispensatione, in singularibus casibus, legem canonicam impedimenti *uti ex tunc*, nempe veluti si tempore initi matrimonii lex prohibens non exstitisset, ita ut quidquid ex ea vel ob eam secutum est, dummodo subsit potestati Ecclesiae, pro infecto haberi debeat. Quare matrimonium in praesenti vires accipit per huiusmodi legis revocationem, qua subtrahitur id quod impedimento erat quominus consisteret, illudque consideratur veluti ab initio validum proindeque omnes effectus iuridici, qui ex lege prohibente prodierunt ex sese, ita coram lege disparent ac si nunquam exstitissent.

Itaque per hanc dispensationem « non fit, ut matrimonium, nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob huiusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt. » Benedict. XIV, *Constit.* « Etsi matrimonialis » *27 Sept. 1755.*

Differentia vero quae inter simplicem dispensationem et sanationem in radice intercedit in eo est, quod simplex dispensatio

---

visne etiam tu eum praestare? „ Hoc pacto coniux ignarus, nullitatem matrimonii cognoscit, non tamen crimen ex quo contractum est impedimentum, ideoque verum consensum connubiale cum voluntate actu contrahendi praestat. Ceterum Benedictus XIV pro casu necessitatis non simpliciter reiicit varios alios modos ab auctoribus propositos et vult ut si praedictus modus adhiberi nequeat confugiatur ad Maiorem Penitentiarium, qui magnis illis difficultatibus fortasse adductus, aut aliquid de severitate remittet aut facultates necessarias a Pontifice postulabit. *Inst. eccl. 87, n. 79.*

effectus habet pro futuro tantum et non sanat iam praestitum consensum, e contra sanatio in radice sanat vitiosum consensum, effectus praeteritos irritat efficitque ut exinde reviviscat natura sua matrimonialis contractus, dummodo tamen omnia requisita ex iure naturae habeantur, quibus reviviscere possit. Porro eiusmodi requisita sunt: 1) ut in matrimonii invalide contracti initiis seu radice adfuerit verus naturalisque contrahentium consensus, solo enim consensu iure naturae contrahitur matrimonium; 2) ut status matrimonialis inductus vi prioris consensus, perseveret. Ex primo requisito patet ratio ob quam Sedes Apostolica non dispensat matrimonia in radice in iis, qui tantum fornicarie vivunt, quibus, si velint filios legitimare, non aliud suppetit remedium, quam matrimonii celebratio. Ex alio requisito manifesta fit ratio cur S. Sedes non dispenset, si alter coniux consensum revocavit, vel ex indiciis prudenter iudicari debeat consensum non perseverare, quippe ex consensus revocatione cessat status matrimonialis.

IV. Praeter requisita ex rei essentia superius indicata, ex Romanorum Pontificum voluntate aliae exquiruntur conditiones ad sanationem in radice obtinendam. Sunt autem: 1) ut coniunctio saltem initio habuerit extrinsecam matrimonii speciem seu figuram; 2) ut urgeat magna causa. Ad primam quod attinet, animadvertimus, quod species extrinseca matrimonii adest, si matrimonium fuit celebratum coram Ecclesia, quamvis invalide propter occultum impedimentum; in loco vero ubi lex Tridentina de clandestinitate non viget, adest haec species, si matrimonium fuit celebratum, licet invalide, vel coram civili magistratu, vel coram ministro acatholico; sive alio modo, qui intentionem matrimonii manifestet. Quamvis haec ita sint, potest tamen in nonnullis circumstantiis obtineri sanatio in radice etiam in impedimento clandestinitatis, quae conceditur cum nullum scandalum timetur atque una pars renuit consensum renovare et vitium clandestinitatis occultum est. Potest postremo sanari in radice matrimonium civiliter tantum initum etiam in locis ubi viget lex Tridentina, quae tamen sanatio vix conceditur nisi causa admodum gravis urgeat.

V. Quoad alteram conditionem vero, quae respicit existentiam causae, notamus, inter huiusmodi causas primum locum tenere si magna hominum multitudo contraxerit irrita matrimonia, quae sine magno damno et scandalo revalidari nequeant

per iterationem consensus communi ratione faciendam. Praeterea nonnunquam gravissima censetur causa legitimatio prolis (1). Gravissima quoque est, si impedimentum sit ignotum alterutri coniugi, et timeatur ne ille certior factus de irrito matrimonio, novum consensum dare recuset vel etiam a matrimonio resiliat. Gravissima etiam causa quandoque existimatur, si uterque coniux in bona fide perseveret et urgens adsit motivum eos non monendi de nullitate matrimonii. Denique in Instruct. C. Caprara gravis dicitur caussa, necessitas consulendi innocentis partis animae saluti. Vide supra § II.

VI. Duo sunt effectus sanationis in radice: primus est validitas matrimonii, secundus est legitimatio prolis. Dari autem potest casus in quo unus vel alter effectus locum non habeat ex materiae defectu, ut ex gr. si deesset proles, vel si dispensatio in radice implorata, viventibus coniugibus, adveniret alterutro defuncto; in hoc tamen ultimo casu ea semper produceret legitimationem prolis.

VII. Executio sanationis in radice eo modo fit, quo executioni mandantur aliae dispensationes simplices, sed servandae sunt ad amussim Litterarum dispensationis clausulae. Ea vero executioni mandata, si agatur de matrimonio iam contracto in forma Tridentina et sanatio in foro conscientiae data fuerit, nulla fit huius matrimonii inscriptio: si vero data fuerit in eodem foro pro matrimonio non inito in forma Tridentina, matrimonium inscribitur cum nota diei et anni in libro matrimoniorum secretorum, nulla mentione facta de obtenta sanatione. Quod si sanatio fuerit concessa pro foro externo, debet matrimonium inscribi in libro consueto et fieri etiam mentio de obtenta sanatione.

---

(1) Hodie, vigente fere ubique matrimonio civili, haec causa raro reputatur gravissima; praesertim cum filii nati ex coniugio putativo in iure habeantur legitimi.

# APPENDIX I.

## De privilegio Paulino et de dispensatione ab interpellationibus.

Matrimonium in infidelitate rite et ad dictamina iuris naturae et divini contractum et consummatum, licet sit vinculum perpetuum, non eam tamen habet perfectam indissolubilitatem, quae matrimonio consummato fidelium ex Christi praecepto positivo convenit. Et haec minor vinculi coniugalis firmitas, quae in matrimoniis consummatis infidelium invenitur, ratio est quare aliquando, salva matrimonii natura, in favorem fidei solvatur, cum nempe alteruter coniux infidelis ad fidem convertitur, alter vero nec converti vult, nec cum converso pacifice habitare. Quam quidem doctrinam promulgat Paulus Apostulus 1 Cor. VII, teste Innocentio III (cap. *Quanto* de divort.), unde ipsa libertas infidelium ad fidem conversorum transeundi ad novas nuptias, privilegium Paulinum appellari consuevit.

Circa hoc privilegium tria placet inquirere 1) quotuplici in casu locum habeat: 2) an necessaria sit infidelis coniugis interpellatio et qualis: 3) quinam possit ab onere interpellandi dispensare et quas ob causas.

I. Et quoad primum, tres tantum sunt casus in quibus coniux conversus eo privilegio uti potest, scilicet 1) cum infidelis omnino renuit habitare cum fideli, ac discedere vult in odium fidei: 2) cum infidelis vult quidem cohabitare, sed non sine contumelia creatoris: 3) tandem quando coniux infidelis fidelem pertrahit ad mortale peccatum.

Stat autem privilegium, si coniux infidelis post factam prius parti conversae promissionem pacifice cohabitandi, dein mutato consilio discedat, aut nolit amplius pacifice cohabitare, dummodo tamen fidelis pars non praebuerit infideli iustam ac rationabilem causam discedendi. (Ita decretum S. O. *diei 1 Aug. 1759* approbatum a Clemente XIII).

Neque etiam privilegium infirmatur, si pars conversa post susceptum baptisma, falso existimans coniugalem consensum esse renovandum, illum reapse renovaverit. Dixi *falso existimans*, nam matri-

monium in infidelitate contractum verum est matrimonium nec per solam alterutrius vel utriusque coniugis conversionem dissolvitur. Quare cum Vicarius Apostolicus Novae Zelandiae anno 1848 quaestionem proposuisset " utrum duo coniuges infideles quando conversi baptizantur, aut una pars tantum baptizatur, licite possint ambo, vel possit pars conversa cohabitare cum parte infideli absque renovatione consensus? „ Cong. S. O. respondit: si dubium nullitatis non sit vere fundatum, renovationem consensus non esse necessariam. Sicut autem matrimonium in infidelitate initum firmum permanet, etiamsi post conversionem consensus non renovetur, ita parti conversae privilegium non perit, etsi consensum reipsa restauraverit. De quo item exstat eiusdem S. O. expressa declaratio. Nam cum idem Vicarius Apostolicus quaesivisset an post matrimonium sic initum et confirmatum coram proprio Missionario, promissione de pacifica cohabitatione a parte infideli prius data, possit pars fidelis, casu quo infidelis promissionem suam frangat, uti paulino privilegio, responsum est ab eadem S. Congregatione: Affirmative. Atque haec declaratio edita die 20 sept. 1848 confirmata et approbata est a f. r. PP. Pio IX die 27 eiusdem mensis.

Cum vero paulinum privilegium sit in favorem fidei sequitur, partem fidelem eo uti non posse, imo eo non gaudere si pars infidelis discedat alia de causa, puta adulterii. Qua quidem in hypothesi tres distinguuntur a Doctoribus casus. Aut enim adulterium patratum est a parte fideli post conversionem et susceptum baptisma: atque hoc in casu ipsa minime uti potest dispensatione divina, ut declaravit Cong. S. O. die 1 augusti 1759. Aut pars fidelis adulteravit antequam veram fidem amplecteretur: et tunc beneficio fidei uti poterit. Cum enim adulterii macula ablata sit per conversionem et baptismum et pars infidelis irrationabiliter iniusteque perseveret in proposito se minime reconciliandi, poterit fidelis coniux ad alia vota transire, ut decisum est ab eadem S. Congregatione die 17 ianuarii 1797. Aut tandem adulterium patratum est a parte infideli: et hoc in casu si infidelis consentiat simul habitare sine contumelia Creatoris, non potest pars fidelis, infideli dimissa, uti dispensatione divina; si enim uteretur, eiectio infidelis non fieret ratione fidei, sed ob adulterium.

Quod siquis fidelis, obtenta dispensatione super cultus disparitate, infidelem ducat qui spondeat quidem pacificam cohabitationem, sed postea pacta et promissa non servet, pars fidelis iuris remedio contra fidei datae violatorem uti debebit, et si id frustra tentaverit, coniuges quoad habitationem et thorum separandi quidem erunt, firmo

manente vinculo ipso coniugali. Neque enim in tali matrimonio locum habet Pauli privilegium, ut declaravit S. O. die 1 aug. 1753.

Rursus si neophytus, obtenta dispensatione super cultus disparitate, retinuerit unam ex illis quas more gentis et regionis suae, praeter primam, uxoris appellatione duxerat, atque cum ea iterato legitimo consensu contraxerit, manet vinculum coniugale etiam si talis uxor lapsu temporis ab eo diverterit. Quod quamvis per se sit satis manifestum, expresse declaratum est a Cong. S. O. quae anno 1854, occasione dubii a Vicario Siamensi propositi, synodi Sutchuensis (c. IX § 7) doctrinam sua sanctione munivit.

Multo magis manet coniugale vinculum, quoties post initum matrimonium inter duos fideles, alteruter deinceps ad ethnicam superstitionem transeat.

Quaeri denique solet, an Summus Pontifex possit coniugium in infidelitate contractum dissolvere, si uterque coniux veram fidem sit amplexus. Et dissolvere quidem posse, si matrimonium nullimode fuit consummatum, nemo est qui dubitet. Similiter extra controversiam est, non posse Pontificem matrimonium solvere conversorum, si consummatum fuit post baptisma, etenim tale matrimonium et sacramentum evasit et a matrimonio consummato aliorum fidelium non differt. Si vero consummatum quidem fuerit ante baptismum, non vero post, respondemus cum Benedicto XIV *Quaest. Can. 546* rem esse valde controversam, nec similis dispensationis extare exempla, unde quidquid sit de pontificia auctoritate, quam sarctam tectam in omnibus volumus, eius exercitium esset in casu praesenti periculosum.

II. Ex ipso Apostoli testimonio (1 Cor. VII) et ex Innocentii III textu in Cap. *Quanto* de divort. constat, facultatem transeundi ad alia vota coniugi converso concedi, quoties infidelis vel nullo modo, vel non sine iniuria Creatoris cohabitare velit, quod sane sine interpellatione partis in infidelitate permanentis dignosci nequit. Ita pluries resolutum est a Sacr. Congr. Conc. et praesertim die 23 Ian. 1603 (Decr. L. X p. 55).

Neque ab interpellatione facienda eximit loci distantia, difficultas, aut praesumptio, cum constare debeat de voluntate infidelis. Neque interpellationis loco esse potest solemnis uxoris expulsio a marito facta per libellum repudii. Qui vero in infidelitate plures uxores habuit, interpellare tenetur eam quam primo duxit.

Quamvis autem inspecto solo iure divino, interpellatio quocumque modo facta sit sufficiens, ex Ecclesiae tamen praecepto necesse est ut

ea semper iudicialis sit, interveniente Ordinario. Cf. Benedict. XIV *de Syn. L.* 13, *Cap.* 21, *n. 4* (1).

Superest inquirendum an infidelis, qui fidelem coniugem sequi noluit, sed lapsu temporis et ipse conversus sit, frui valeat divina dispensatione. Nota quatuor diversis modis id contingere posse. Vel enim dum ipse convertitur coniux prius conversus ad secundas nuptias transierat, vel vota solemnia professus fuerat in religione approbata, vel sacros susceperat ordines, vel nullo electo statu, adhuc res integra manet. Porro dubii propositi solutio pendet a quaestione quo tempore vinculum matrimonii in infidelitate contracti vi divinae dispensationis dissolvatur, an scilicet in baptismate conversi, an vero facta monitione seu interrogatione partis in infidelitate permanentis velitne pacifice cohabitare, an postremo eo instanti quo conversus ad secundas nuptias transit. Atque hoc tertium dicendum esse, constat ex Cap. *Gaudemus* de divort., sustulitque omne dubium Clemens XIII per decretum S. O. die 1 aug. 1759 editum. Quodsi prius coniugium non ante solvitur, quam pars ad fidem conversa, divino utens privilegio, novas contrahit nuptias, facile deducitur quid in quolibet ex quatuor supra commemoratis casibus statuendum sit. Nimirum ea doctrina stabilita, sequitur posse in primo casu absque dubio coniugem posterius conversum et ipsum libere matrimonium contrahere,

---

(1) Formula interpellationis a coniuge converso faciendae alteri coniugi persistenti in infidelitate sequens vel similis esse poterit.

" Commissione et mandato Ill^mi ac R^mi DD. N. N. Episcopi etc. Tenore praesentium et ad instantiam Mariae N. neophytae, ante baptismum vocatae...., requiritur, interpellatur ac monetur N. iudaeus, maritus ante baptismum eiusdem N., ut in termino dierum triginta ab intimatione praesenti immediate decurr. ac numerandorum, quorum decem pro primo, alios decem pro secundo, et reliquos decem dies pro tertio et ultimo termino assignamus, debeat in actis huius Curiae se exprimere ac declarare an velit se convertere ad sanctam fidem christianam, sectam iudaicam deserere ac sacrum baptisma corde sincero suscipere, prout ipsa Maria, olim uxor sua, fecit et prout enixe eum facere rogat, pro salute animae suae monet, interpellat, requirit, aut saltem an velit cum eadem Maria pacifice cohabitare etc. Alias dictis triginta diebus transactis, et ad fidem catholicam non se convertente et se conversurum vel pacifice etc. non declarante, ipsa Maria ad secundas nuptias cum alio fideli transibit, vel religionem ingredietur, prout magis in Domino pro propria salute aeterna putaverit expedire: et citetur praedictus N. ac citatus intelligatur eodem termino triginta dierum transacto coram D. S. ad audiendum ita sententiari, et quodcumque decretum necessarium et opportunum super praemissis pronunciari, salvo iure eidem Mariae olim N. petendi et consequendi dotem suam ac alia quaecumque bona sibi de iure debita.

" In quorum fidem etc. Datum ex Cancellaria episcopali N. die.... anno.... "

cum prioris vinculum penitus sit solutum. In secundo et tertio casu alias inire nuptias probabiliter minime potest, siquidem ex probabiliori Doctorum opinione matrimonii in infidelitate contracti et consummati vinculum, nec per religiosam professionem, nec per ordinum susceptionem dissolvitur (Cf. Benedict. XIV *Quaest. Can. 546*). Nihilominus ne hisce quidem in casibus prius coniux conversus ad alterum redire tenetur, eo quod interpellatione facta et accepto negativo responso, usus est iure suo. In quarto denique casu, neuter conversus inire alias nuptias potest, cum prioris matrimonii vinculum adhuc perduret, teneturque pars prius conversa alteram, quae eam in amplectenda fide secuta est, pacifice recipere.

III. Si ob graves difficultates interpellatio fieri nequeat, recurrendum erit ad Summum Pontificem, qui solus potest ut infallibilis divini iuris interpres, ab ea facienda in toto vel in parte dispensare. Dispensatio autem huiusmodi nunquam poterit nec ob rationis identitatem ad alias regiones vel ad alios casus extendi, quam pro quibus concessa est (Bened. XIV l. c.). (1)

Habita dispensatione, matrimonium noviter initum firmum manet et inviolabile, etsi postea innotescat infidelem, iusto impedimento detentum, suam voluntatem declarare non potuisse, vel ad fidem conversum fuisse tempore quo secundum matrimonium initum est. Gregorius XIII *Const.* Populis ac Nationibus 25 *Ianuar.* 1585.

Causae legitimae ad praedictam dispensationem obtinendam sex communiter recensentur. Pro tribus prioribus data sunt Indulta Pii V " Romani Pontificis „ et Gregorii XIII " Quoniam saepe contingit. „

Sunt autem: 1) si interpellatio fieri nequeat, vel quia pars infidelis degit in hostilibus ac barbaris provinciis, ubi ne nuntiis quidem aditus pateat; 2) vel quia ignoratur prorsus in quas regiones migraverit; 3) vel quia itineris longitudo magnam afferat difficultatem; 4) si periculum sit ne ex facta interpellatione molestia aut persecutio contra christianos oriatur; 5) si neophytus oblitus sit quam primam

---

(1) Quamvis in praxi peti soleat dispensatio ab interpellationibus, sunt tamen auctores gravissimi qui censent Romanum Pontificem in casu quo fieri interpellatio nequeat, ex apostolicae auctoritatis et potestatis plenitudine solvere vinculum matrimonii in infidelitate contracti et consummati. Hac in re, praeter antiquiores Doctores Navarrum, Sanchesium, Verricellium, Pirhing, Reginaldum, Laymann, Filliuccium, inter recentiores confer cl. P. D. Palmieri e S. I. in *Trac. de matrim. Th. XXVI*, Gury Ballerini *Tract. de matrim. T. 2, N. 759*, et cl. Iosephum Mansella *De imped. matrim. dir. Art. III*, qui egregie hanc quaestionem pertractant.

sibi nupserit ex pluribus uxoribus ductis in sua patria, vigente ibi polygamia, cuius causae sufficientia constat ex Bulla Pauli III " Altitudo divini consilii „ 1 Iunii 1537; 6) si serio dubitetur an neophytus in sua patria verum matrimonium contraxerit cum priori aut altera ex pluribus ductis, vel potius omnes retinuerit tamquam contubernales. Ita Cong. S. O. in *Instr.* data ad Episc. Quebec. die 8 Iunii 1836.

Ad declarandam praesertim hanc ultimam causam et nonnullas alias quaestiones rite definiendas quae cum subiecta materia connexae sunt, operae pretium ducimus heic referre per integrum Instructionem super nonnullis dubiis de re matrimoniali et baptismo a Vicario Ap. Oceaniae centralis propositis, editam a Suprema S. Congreg. Universalis Inquisitionis feria IV die 18 Decembris 1872, quae sequens est:

" Dubia, quae Amplitudo Tua detulit ad hanc Supremam Congregationem, in quatuor classes distributa, proposita sunt die 8 maii labentis anni 1872, iisque Emi Patres ita respondendum censuerunt.

Quodque attinet ad primam classem, quae est *de matrimoniis inter infideles*, primum animadverterunt ex verbis relationis tuae apparere, non bene fuisse intellectam instructionem ad Archiepiscopum Quebecensem diei 8 Iunii 1836, quae pro norma ad istam quoque missionem Oceaniae centralis iampridem missa fuit. Videntur enim Missionarii ita illam intellexisse, ut tamquam ex regula generali, et nulla in casibus particularibus inquisitione praemissa, matrimonia infidelium istius regionis haberi debeant veluti mera contubernia, vel saltem valde dubia, adeoque in conversione alterutrius coniugis ad catholicam religionem matrimonium semper esse renovandum, data facultate *parti conversae* (ut habetur in praedicta instructione) *eligendi quamcumque velit ex mulieribus iam sibi coniunctis, vel etiam matrimonium incundi cum qualibet catholica muliere.* Unde ipse animadvertis, id commode accidere, si sit *vir*, qui ad fidem prius convertatur; sed valde incommodum esse, si prior convertatur *mulier*, cuius scilicet magnopere interest manere cum viro, cum quo copulata est. Non hic tamen est germanus sensus instructionis datae Archiepiscopo Quebecensi. Nulla regula generalis ibi statuitur circa validitatem eiusmodi matrimoniorum, quae *a priori*, ut aiunt, teneri possit absque ulla necessitate faciendi debitas inquisitiones in casibus particularibus; imo, quando aliud non obstet, iuxta ea, quae mox dicentur in responsis ad dubia proposita, aperte ibidem innuitur, faciendam esse in singulis casibus diligentem ac seriam inquisitionem per ea verba " *quando agitur de matrimoniis, de quibus serio dubitari*

*potest* etc. „ Cum enim dictum est " *quando agitur* „ aperte indicatum est, habendam esse particularem rationem in singulis casibus particularibus; et cum dictum est " *serio dubitari potest* „ perspicue declaratum est, non quamlibet formidinem, nec quaelibet dubia esse admittenda, sed ea tantum, quae *seria* sint, hoc est vere prudentia: quae si talia non fuerint, de validitate matrimonii ambigendum non erit.

" Insuper E^mi^ Patres animadverterunt, Missionarios quoad matrimonia infidelium istius regionis videri in hanc etiam opinionem devenisse, *in dubio standum esse pro invaliditate matrimonii;* idque adeo, ut pars, quae petit baptismum, repelli debeat a baptismo, nisi aut se separet ab altera parte, aut matrimonium cum eadem renovet, etiamsi ea, quae baptismum petit, sit in bona fide, neque per eam stet, quominus matrimonium renovari nequeat: quae sane probari haud facile possunt. Nosti enim in matrimoniis contrarium vigere principium, hoc est: *in dubio standum esse pro validitate matrimonii.* Licet autem ab hoc principio aliquando recedere aequum sit, quando nimirum (ut plerumque contingit in matrimoniis infidelium) quaestio agitur de facto, utrum scilicet matrimonium fuerit unquam contractum, necne; nihilominus hoc etiam in casu non est continuo properandum ad principium contrarium. In primis enim videndum est, utrum matrimonium, de cuius existentia Missionarius dubitat, possessionem pro se obtendere merito possit. Hoc enim si contingat, perperam a Missionario iudicaretur, standum ei esse pro invaliditate, cum iura possessionis servanda sint, donec de contrario perspicue constet. Id autem E^mi^ Patres eo magis animadverti voluerunt, quod ex iis, quae narras, apparet, eiusmodi casus esse valde frequentes. Ais enim id saepe evenire, quod mulier, quae baptismum petit *in bona fide sit*, adeoque censeat, se veram ac legitimam uxorem esse, itemque ceteros ex eius cum viro suo coniunctione *nullum scandalum pati*, adeoque ipsos etiam censere, eam in iusto esse coniugio, virum autem infidelem, etsi nihil aperte dicat, nihilominus neque mulieris, neque populi opinioni contradicere, cumque ipsa agere tamquam cum vera uxore: quae porro eiusmodi sunt, ut eorum coniunctioni matrimonii nomen et possessionem vindicare videantur.

" In hoc igitur statu regulare principium, quod *in dubio standum est pro matrimonio*, reviviscat necesse est; adeoque etsi indoles barbarorum ad concubinatum magis, quam ad matrimonium proclivium, formidinem, ac dubium de contrario non immerito ingerat, non debet tamen Missionarius ita durus, atque imo iniustus esse, ut si circumstantiae matrimonium renovari, omnique ex parte certum fieri non

sinant, neque stet per mulierem, quae baptismum petit, ut illud non renovetur, eam a baptismo removeat, atque ab omni aditu salutis reiiciat: sed ita se gerere debet, quemadmodum iuxta sanae doctrinae regulas in ipsis matrimoniis christianorum fieri solet. Novit scilicet Amplitudo Tua, quod, si dubium aliquod deprehendatur in alicuius matrimonio circa valididatem, atque ille in bona fide sit, et communi iudicio verus coniux existimetur, non possit autem idem moneri absque gravi aliquo periculo, communis doctrina est, silendum esse illumque in bona fide relinquendum, neque proinde a sacramentis esse removendum. Multo igitur minus in paribus circumstantiis removenda erit a baptismate mulier, quae illud postulat, cum multo maior sit baptismatis necessitas, quam ceterorum sacramentorum, sed in sua bona fide relinquenda erit, donec opportuna oriatur occasio, sive ex cessatione periculorum, quae timebantur, sive ex conversione ipsius viri ad catholicam religionem, matrimonium illud per renovationem omnino certum faciendi.

" Denique hoc etiam ab E$^{mis}$ Patribus animadversum est, Missionarios ita in praeconcepta opinione defixos videri, quod maritales omnes coniunctiones infidelium istarum partium meri concubinatus dicendae sint, ut sollicitudinem omnem gerentes de modo, quo ea mulier, quae baptismum petit, in vitae consuetudinem a viro recepta est, nullam curam videantur habere inquirendi, utrum eius vir cum alia muliere adhuc vivente iustas nuptias ante illam inierit. Itaque de hac etiam re monendos illos voluerunt, in hisce casibus prudentem primum, ac sedulam quantum fieri potest, inquisitionem, necessario praemittendam esse, utrum vir infidelis ante nuptias cum muliere, quae baptismum petit, vero proprieque dicto matrimonio cum alia, quae adhuc vivat, coniunctus fuerit. Quod si ita esse constiterit, praedicta mulier non erit ad baptismum admittenda, nisi relicto viri infidelis contubernio. Si vero id plane non constiterit, inspecta praesertim eiusdem bona fide, iisque omnibus, quae hactenus dicta sunt, in possessione sui matrimonii, prout exigent circumstantiae casus, relinquenda erit. Quibus praemissis, en ipsa responsa supremae huius Congregationis ad dubia, quae in hac prima classe proposuisti.

" Dicebas, *saepe evenire, ut vir, qui plures aut successive, aut simultanee habuit uxores, unam tandem iuniorem et nobilioris familiae assumat. Spes fundata habetur, quod ipse illam perpetuo servabit; quamvis tamen non se existimet districtiori vinculo cum illa ligari, quam cum ceteris, quas ipse iam dimisit, aut quae eum dereliquerunt. Saepe tunc evenit, ut mulier illa, quae unica remanet, convertatur,*

*et postulet baptizari. Ipsa equidem ab illo viro etiam infideli remanente recedere non vellet, et pro sua parte promittit, se nunquam ab illo viro discessuram fore. Mulier est in bona fide, et credit nihil obstare, quin ipsa baptizetur. Vir baptismo mulieris consentit, at imo saepe illum gratum habet. Sperat vero Missionarius, illum virum ab ea uxore ad conversionem sinceram, et baptismi receptionem adducendum fore. Difficile est tamen eum adducere, ut coram Missionario, aut coram testibus consensum exprimat in unionem perpetuam; periculumque adest, ne, recusato ab illo consensu, non amplius remaneat illius uxor in bona fide; et ex altera parte mulier non consentiet ab illo viro separari, ut ipsa baptizari possit; si consentiat, in proximo periculo perversionis erit propter iuniorem aetatem, et ceteras circumstantias. Denique nullum scandalum orietur, si ambae partes in bona fide relinquantur, et baptizetur pars conversa.* Super quo themate sex dubia proponebas, quorum *primum* hoc fuit: " *Utrum mulier praedicta baptizari possit, postquam ipsa renovaverit suum consensum in unionem perpetuam, sed sine renovatione eiusdem consensus ex parte viri, et sic in bona fide cum illo cohabitare post baptisma, etsi aliquod dubium extet circa validitatem matrimonii* „.

" S. Congregatio respondit: " *Ad primum: Quatenus nullum ex viri indole immineat periculum, Missionarius in casu proposito insinuet mulieri, caute tamen, ne eius bona fides quidquam detrimenti patiatur, ut, opportunitate capta alicuius momenti effusioris benevolentiae, excitet virum ad ei declarandum, si fieri potest, praesentibus propinquis sive domesticis, sin minus inter se, eum habere ipsam uti veram uxorem; quod cum fecerit, et ipsa continuo idem profitcatur erga eum, se scilicet habere eum tamquam verum maritum. Quod si Missionarius videat, non sine aliquo discrimine haec fieri posse, tum, attentis expositis, ac praesertim bona fide mulieris, et absentia cuiuslibet scandali, sileat, eamque in bona fide relinquat, eam ad baptismum admittat, eique iniungat, ut curet pro viribus conversionem viri: quod, si Dei gratia adiuvante evenerit, tum libere poterunt, nisi aliud obstet, occasione benedictionis nuptialis, ad renovandum consensum adduci.*

" *Secundum* dubium ab Amplitudine tua propositum hoc fuit: " *Si necessario exigi deberet renovatio consensus ex parte viri, utrum sufficiat, ut ille consensus ab ambobus coniunctis renovetur, hancque renovationem Missionario testetur pars conversa, quae postea baptizaretur* „. S. Congregatio respondit: " *Ad secundum: Provisum in primo* „.

" *Tertium* dubium hoc fuit: " *Utrum sufficiat, ut renovatio consensus mutui locum habeat ante baptismum partis conversae, sive co-*

*ram testibus, sive coram parentibus* „. S. Congregatio respondit: " *Affirmative, iuxta modum expositum in responsione primo dubio data* „.

" *Quartum* dubium hoc fuit: " *Si renovatione consensus non certioratum fuerit matrimonium, illudque remanserit dubium post baptisma partis conversae; et pars infidelis post quamdam cohabitationem discesserit; ipsa autem postea convertatur, et postulet baptizari, quin tamen consentiat ad partem fidelem a se derelictam redire, haec vero nondum usa fuerit suo privilegio alteri nubendi, utrum propter dubium de priori matrimonio concedi possit, ut baptizetur pars infidelis, et novum matrimonium ineat* „. S. Congregatio respondit: " *Ad quartum diligenter examinandum esse virum, utrum primam mulierem, quae iam baptizata est, et cum qua etiam post baptismum eius cohabitavit, acceperit tamquam uxorem; et quatenus dicat, se accepisse eam tamquam concubinam, interrogandum esse de probationibus huius assertionis, tum opponendas ei esse omnes coniecturas, quae contrarium suadent, sive quod mulieris nobilitas non sinit concubinatum praesumere; sive quod, dimissis ceteris, eam solam retinuerit; sive quod post eius baptismum consenserit pacifice cum ea cohabitare, cum tamen ignorare non potuerit, concubinatum in christiana religione non tolerari; sive quod firmae eius opinioni, qua semper se habuit tamquam uxorem nunquam contradixerit; sive quod apud familiares et vicinos uxor legitima semper habita fuerit: tum examinandam esse ipsam mulierem, nec non vicinos et familiares circa probationes, quibus opinio eorum innititur, quod ipsa vera uxor fuerit; et eas quoque viro asserenti, se tanquam concubinam eam habuisse, opponendas esse. Quod si ipse hisce omnibus argumentis plene satisfecerit, ita ut omnino constet, eam quoque, non secus ac alias mulieres, quas, ea retenta, dimisit, fuisse apud eum in concubinae statu et qualitate, tum concedi ei posse, ut baptizetur, et novum matrimonium ineat. At si argumenta eidem opposita aliquatenus quidem ipse enervaverit, sed non omnino sustulerit, ita ut in statu dubii res adhuc permaneat, tum res tota ad Apostolicam Sedem deferatur, et una cum ceteris omnibus circumstantiis, et fideli et distincta relatione de iis, quae in ea controversia acta sunt, exponatur quae sit de eo casu fama loci* „.

" *Quintum* dubium hoc fuit: " *In hypothesi matrimonii dubii inter infideles, si ambo conversi fuerint, Missionarius vero non cogitans de dubio circa validitatem matrimonii impertitus fuerit benedictionem nuptialem duobus coniunctis post utriusque partis baptisma, ipse autem neglexerit procurare renovationem mutui consensus in unionem perpetuam; deinde vero cohabitaverint ambo coniuges in bona fide; utrum*

*in eo casu, existat vinculum matrimonii certum, sive quia partes non cogitantes de dubio persuasum habent suam unionem ab Ecclesia ratam habitam fuisse, sive propter cohabitationem cum illa persuasione habitam* „. Sacra Congregatio respondit: " *Ad quintum: Iuxta exposita regulariter tenendum esse, matrimonium factum esse certum* „.

" *Sextum* dubium hoc fuit: " *In eadem hypothesi matrimonii dubii inter infideles mulier primum baptizata fuit, sed absque renovatione consensus ex parte viri. Quodam elapso tempore, vir in gravem morbum incidit, et in gravi periculo mortis baptizatus fuit a Missionario, vel a Catechista laico, qui renovationem consensus circa matrimonium renovare neglexit. Vir autem non est mortuus, et postquam ad perfectam sanitatem reductus fuit, ipse recusavit suum consensum in matrimonium renovare, et tamen cohabitare perrexit cum muliere, quae est remansa in sua bona fide. Postea vir ille discessit. Utrum pronuntiari possit, nullum fuisse matrimonium* „. Sacra Congregatio respondit: " *Ad sextum: Negative; sed facienda esse acta opportuna, prout dictum est in quarto; iisque peractis, deferenda res erit ad Sedem Apostolicam cum fideli, ac plena relatione singularum circumstantiarum, necnon actorum, quae facta sunt; et in specie exponendum erit, quae sit ac fuerit fama publica circa eiusmodi coniunctionem, sive matrimonium* „.

" Post haec Amplitudo Tua proposuit aliam seriem dubiorum *circa matrimonia inter haereticos dubie baptizatos*, quibus dubiis eadem Amplitudo Tua haec praemonenda esse censuit: " *Quoad matrimonia inter baptizatos, aut dubie baptizatos, qualia fiunt apud haereticos in quibusdam Oceaniae insulis, et qualia fuerunt exposita a R. P. D. Vicario Apostolico Oceaniae centralis anno 1857, responsum est* (anno sequenti 1858), *illa matrimonia a Vicario Apostolico irrita declarari posse, et facultatem tribui parti (vel partibus) conversae ad alias nuptias, nullo alio interveniente canonico impedimento, convolandi. Adnotatum vero fuit:* 1. *Si ambo venerint ad catholicam fidem, et velint uniti remanere, renovent consensum, sed in unionem perpetuam*: 2. *Si una tantum pars vellet fieri catholica, altera vero in haeresi remaneret, vellet tamen in matrimonio manere, Vicarius Apostolicus possit dispensare in matrimoniis mixtis cum solitis conditionibus ab Ecclesia requisitis, nisi aliter prudentia requirat* „.

" Hoc vero praemonitum E^mi Patres attente considerantes animadverterunt, non fuisse bene intellectum praedictum responsum datum R. P. D. Vicario Apostolico Oceaniae centralis. Porro ille retulerat, Methodistas sive concionibus, sive etiam praxi docere bar-

baros iuxta suae sectae placita, matrimonium solvi posse sive ex causa adulterii, sive aliis de causis: item dubiam aliquando esse validitatem baptismi, qui ab iis confertur. Quibus positis, quaesivit, utrum in regionibus, in quibus Methodistae praedicaverant, haberi possent tamquam invalida, 1. matrimonia barbarorum, qui dubie baptizati fuissent, ob ipsum dubium baptismi, 2. ceterorum quoque matrimonia, sive dubie, sive valide baptizati fuerint, ob errorem a Methodistis praedicatum circa matrimonii indissolubilitatem. Quoad haec dubia hoc primum ais, S. Congregationem respondisse, *matrimonia illa omnia a Vicario Apostolico irrita declarari posse.* At hoc a germano sensu responsi longissime abest. Nam quod attinet ad matrimonia, de quibus Vicarius Apostolicus dubitabat ob dubium ipsum baptismi, S. Congregatio ad eum transmitti iussit decretum *Feriae IV*, 17 *Novembris* 1830, quod scilicet docet, baptismum dubium in ordine ad matrimonium habendum esse tamquam validum; ex quo apparet respondisse barbarorum matrimonia ratione baptismi dubii nullo pacto habenda esse irrita, sed imo valida. Quod vero pertinet ad matrimonia, de quorum validitate Vicarius Apostolicus anxium se exhibebat ob praedicationem Methodistarum contrariam matrimonii indissolubilitati, decrevit, ut instructio transmitteretur, quam anno 1843 Vicario Apostolico Oceaniae orientalis dederat. Iam vero in ea instructione primum diserte proponitur regula generalis, quod *validum matrimonium contrahi potest cum errore mere concomitante circa eius indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium iuxta institutionem Christi;* tum additur, quod, *ubi adhibetur formula cum implicita, vel explicita illa conditione* (ut Matrimonium, quod actu contrahitur, solvi possit ex causa adulterii, vel aliis de causis), *iam fieri nequit, ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi.* Ex quo apparet, hoc traditum esse: errorem menti inhaerentem, qui tamen non sit deductus in pactum sive conditionem, validitati matrimonii non officere, eoque tantum in casu invalidum illud reddere, cum, consideratis formulis, quae in actu contractus adhibitae sunt, merito dici possit fuisse in pactum deductum. Ut autem in re tam gravi facilior via praeberetur Missionariis ad recte iudicandum, nonnullae formulae adductae fuerunt in exemplum, quae eiusmodi pactum sive conditionem continent, quaeque a Methodistis adhiberi solent: ac tum denique adiecta sunt verba illa, quae ab amplitudine Tua citantur, nimirum: *In omnibus igitur supra expositis casibus possent talia matrimonia irrita declarari, ac facultas tribui*

*parti (vel partibus) conversae ad alias nuptias, nullo alio interveniente canonico impedimento, convolandi:* ita ut manifestum sit, non de omnibus matrimoniis, quae in illis regionibus fiunt ab haereticis, haec dicta esse, sed tantum de matrimoniis, quae contracta fuerint sub illis formulis, vel fortasse aliis eiusdem valoris, in quibus scilicet deducta fuerit in pactum, sive conditionem matrimonii dissolubilitas.

" Hinc E^mi^ PP. animadverterunt alium errorem, qui videtur irrepsisse inter Missionarios in interpretatione praedictae instructionis. Scribis enim indistincte de quibuslibet, qui ad catholicam fidem veniant, in illa instructione adnotatum fuisse, adduci debere ad renovandum consensum, sique una tantum pars velit fieri catholica, atque altera in haeresi remaneat, Vicarium Apostolicum posse dispensare super matrimonio mixto cum solitis conditionibus ab Ecclesia requisitis, nisi aliter prudentia requirat. Atqui haec ibidem non sunt adnotata de quibuslibet, qui ex haeresi ad fidem catholicam convertantur, sed tantum de illis qui matrimonium inierint sub illis formulis, quae ibi adnotantur, vel fortasse sub aliis eiusdem valoris, quae facultatem dissolvendi matrimonii sive ex causa adulterii, sive aliis de causis in pactum adduxisse merito videantur; adeoque matrimonium vel certe nullum, vel merito dubium effecerint. Itaque adnotationes illae appositae sunt immediate post illas formulas recitatas, et cum iis colligatae sunt per adverbium *hic*, id est *in hoc loco, in his casibus.* In ceteris enim matrimoniis, in quibus error de matrimonii dissolubilitate nullo modo fuit in pactum deductus, cum iuxta regulam in eadem illa instructione traditam omnino valida haberi debeant, consequens est, ut neque renovatio consensus, neque dispensatio super matrimonio mixto locum iam habeat, sed tantum agi debeat cum ea parte, quae remanet in haeresi, ut consuetas conditiones adimplere polliceatur, quas Ecclesia in matrimoniis mixtis requirit, interposita, si fieri potest, iuramenti fide; ea vero pars quae ad catholicam religionem venit, monenda sit, ut earumdem adimplementum, quantum in se est, omni studio curet; idque se perfecturam, necnon conversionem coniugis sui curaturam, iureiurando promittat. Hisce animadversis, ad dubia, quae in hac altera classe Amplitudo Tua proposuit, ita respondendum censuerunt.

" *Ad dubium primum*, quod huius tenoris est: " *In casu, quo ambo coniuges sunt dubie tantum baptizati, et dubium est vinculum matrimonii, si una pars convertatur, utrum sufficeret, ut renovatio consensus in unionem perpetuam a duobus coniunctis praestaretur, antequam iterum baptizetur pars conversa* „ S. Congregatio respondit:

" *Negative, hoc est non debere praemitti renovationem consensus matrimonialis collationi baptismi sub conditione: et ad mentem. Mens est, quod in casu proposito, cum nullum adsit periculum in examinandis rite partibus tum circa baptisma, quod adulta aetate suscepisse supponuntur, tum circa matrimonium, quod redintegrare dicuntur esse parati, cumque eiusmodi dubia diluere facillimum sit, quippe quae versantur in facto proprio earumdem partium, Missionarii, non negligant examen partium rite ac diligenter peragere, et nonnisi eo praemisso, et quatenus dubium permaneat, ad collationem baptismi sub conditione, et ad recipiendam matrimonialis consensus renovationem procedant* „.

" *Ad dubium secundum*, quod fuit ita propositum: " *Si facta fuerit renovatio consensus mutui, antequam baptizaretur pars conversa, pars vero non conversa discesserit post quoddam tempus cohabitationis, aut nolit amplius cohabitare, nisi cum iniuria Creatoris, utrum pars conversa propter gravissimum dubium de baptismo in haeresi recepto aequiparari possit parti ab infidelitate conversae, et propter Paulinum privilegium ad alias nuptias transire* „ S. Congregatio respondit: " *Negative* „.

" *Ad tertium dubium* huius tenoris: " *Utrum baptismus dubius censendus sit validus in ordine ad matrimonium etiam in eo sensu, quod invalidum sit matrimonium inter haereticum dubie baptizatum, et infidelem, propter impedimentum disparitatis cultus* „ S. Congregatio respondit: " *Affirmative.* „

" Hisce dubiis Amplitudo Tua alia adiecit *circa applicationem dispensationum matrimonii*, quorum *primum* hoc fuit: " *Quidam neophytus ex infideli insula oriundus revertens in suam patriam, ubi forsan viam fidei praeparabit, postulat, utrum ipse possit matrimonium inire in illa insula valde distanti, ubi nullus est Missionarius nullusque recursus ad Missionarium erit possibilis per unum, vel duos, vel tres annos. Neophytus continere non posset, praesertim inter dissolutos mores paganorum, et longe a sacramentis. Ibi vero nulla invenitur puella baptizata, aut, si qua sit, haec illi forsan non convenit. Quaeritur, utrum valide, utrum licite in eo casu particulari, et pro uno, aut altero tantum dari possit illi neophyto dispensatio anticipatim super impedimento disparitatis cultus absque nominatione personae, quae est ipsi unienda, quae quidem nondum est determinata. Si negative, utrum pronuntiari possit impedimentum disparitatis cultus, quod est ecclesiasticum, in eo casu non existere?* „ S. Congregatio respondit: " *Ad primum: Quoad primam partem, Negative, et ad*

*mentem. Mens est, ut consulatur SS^mo, ut provideat per opportunas facultates Vicario Apostolico concedendas pro duobus vel tribus casibus dispensandi neophytum sive per se, sive per suum Adiutorem anticipatim absque nominatione personae super impedimento cognationis spiritualis, quatenus mulier convertatur, et deficiente alia persona catholica, ab ipso baptizata fuerit; quatenus vero converti renuat, ab impedimento disparitatis cultus, sub hisce tamen in hoc altero casu conditionibus eidem neophyto imponendis, ut omni studio curet conversionem mulieris a se electae, et interim promissionem iuratam ab ea exigat, se curaturam, ut proles educetur in religione catholica, neque ullum unquam illaturam esse impedimentum sive sibi, hoc est ipsi neophyto, sive proli in religionis christianae exercitio. Quoad alteram partem; Provisum in prima „*. Praedictas vero facultates Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est pro tribus casibus.

" Alterum dubium hoc fuit: " *Quidam Missionarius concessit dispensationem super impedimento, quin cogitaverit de absolutione a censuris facienda: censura autem innodatus erat coniungendus. Utrum valida sit illa dispensatio, si confessarius ipse illum concesserit. Utrum valida etiam sit, si illum dispensaverit alius sacerdos, qui non cognovit censuram* „ S. Congregatio respondit: " *Ad secundum: Quoad confessarium, qui dispensaverit in actu confessionis post impertitam absolutionem, Affirmative: Quoad sacerdotem, qui dispensaverit extra confessionem, Negative* „.

" Denique Amplitudo Tua quartam adiecit classem dubiorum circa baptismum, quae haec fuere; " *In quibusdam locis nonnulli* (haeretici) *baptizant cum materia et forma debitis simultanee applicatis, sed expresse monent baptizandos, ne credant baptismum habere ullum effectum in animam: dicunt enim ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae. Itaque illi saepe catholicos in derisum vertunt circa eorum fidem de effectibus baptismi, quam vocant quidem superstitiosam. Quaeritur*: 1. *Utrum baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi, quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a Ministro, antequam baptizet, baptismum nullum habere effectum in animam.* 2. *Utrum dubius sit baptismus sic collatus, si praedicta declaratio non expresse facta fuerit immediate, antequam baptismus conferretur, sed saepe pronuntiata fuerit a Ministro, et illa doctrina aperte praedicetur in illa secta.* „ Porro haec dubia iampridem agitata fuisse, ac pro validitate baptismi fuisse responsum, videre potes apud Benedictum XIV *De Syn. Dioec. Lib. VII, Cap. VI, num.* 9., ubi haec habentur:

" *Caveat Episcopus, ne incertam et dubiam pronunciet baptismi validitatem hoc tantum nomine, quod haereticus minister, a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi, prout a Christo Domino fuerit constitutum: siquidem cum in Gallia disputatum olim fuerit, an ob praedictam rationem rebaptizandi essent baptizati a Calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit* „. Cuius rei ratio perspicue traditur a Card. Bellarmino *De Sacram. in genere Lib.* 1, *Cap.* 27, *num.* 13, ubi, exposito errore Tilmanni, et Chemnitii asserentium, Concilium Tridentinum in canone XI Sess. VII de Sacramentis in genere definivisse, *non esse ratum sacramentum, nisi minister intendat non solum actum, sed etiam finem sacramenti, id est intendat illud, propter quod sacramentum est institutum*, haec subdit: " *Sed hoc merum mendacium est. Concilium enim in toto canone XI non nominat finem sacramenti, neque dicit, oportere ministrum intendere, quod Ecclesia intendit, sed quod Ecclesia facit. Porro, quod Ecclesia facit, non finem, sed actionem significat. Denique ex praxi id constat. Nam neque vetus Ecclesia rebaptizabat baptizatos parvulos a Pelagianis, nec nos rebaptizamus baptizatos a Zwinglianis, et Calvinistis; et tamen scimus, omnes istos baptizare sine intentione veri finis, qui est tollere peccatum originale* „. Ex quo est, quod Innocentius IV, *in Cap.* 2 *De Bapt. num.* 9 ait, validum esse baptisma collatum a Saraceno, de quo notum est, *non credere per immersionem aliquid fieri, nisi madefactionem*, dummodo intenderit facere, *quod ceteri baptizantes faciunt.* Itaque ad praefata dubia S. Congregatio respondit: " *Ad primum: Negative; quia, non obstante errore quoad effectus baptismi, non excluditur intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Ad secundum: Provisum in primo* „.

## APPENDIX II.

### De dispensatione super vinculo matrimonii rati et non consummati.

Dispensatio a vinculo matrimonii rati et non consummati res est gravissimi momenti, nec ad eam concedendam Summus Pontifex inducitur unquam, nisi ex legitimo processu constet matrimonium

non fuisse consummatum et insuper nisi adsint gravissimae causae, quae dispensationem suadeant.

Cum autem saepe contingat ut haec dispensatio vel sine iusta et canonica causa expetatur, vel cum non deest causa, nulla declarari debeant acta, defectu formae substantialis, hinc operae pretium est nonnulla heic exponere de causis talium dispensationum ac de modo procedendi in processu ipso instruendo ad hanc dispensationem obtinendam.

I. Causae possunt esse vel publicae vel privatae. Publica causa erit regni vel provinciae bonum; causae privatae sunt: 1) impotentia superveniens matrimonio rato; 2) lepra vel alia infirmitas contagiosa et diuturna usum matrimonii impediens et quae in alterutro coniuge post initum matrimonium detegatur ante ipsius consummationem; 3) odium implacabile inter coniuges; 4) voluntaria et nimis protracta alterius coniugis dilatio ad consummandum matrimonium; 5) si post initum matrimonium ratum, alteruter coniux secundum cum alia persona attentet et consummet; 6) si metus, vel consensus defectus non potuit sufficienter probari; 7) verisimilis unius impotentia, non tamen ita sufficienter probata, ut locus sit dissolutioni ex iustitia.

II. Quod vero ad procedendi modum attinet, committi solet oratorum Ordinario ut processum conficiat super non consummatione et super existentia causarum, quas orator in precibus adduxit. In eo instruendo procedi debet adamussim iuxta Const. Benedicti XIV " Dei miseratione „ *3. non. Nov. an. 1741.* Quod si ob circumstantias locorum, temporum ac personarum servari exacte nequeant, quae in eadem Constitutione praescripta sunt, poterit obtineri a Summo Pontifice dispensatio ab accurata eorumdem observantia, servata Constitutione tantum in substantialibus et in iis praesertim, quae ad defensoris munus pertinent.

Ordinarius igitur tribunal constituet: munus moderatoris actorum vel ipse sibi assumet vel suum Vicarium generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui cancellarii officio fungens, quidquid ad causam pertinet in acta referat ac nominatim interrogationes examinandis faciendas eorumque responsiones scripto consignet. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum, quatenus haberi possit, iuris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii Defensor existat; quem etiam suspendere vel removere, si iusta causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum, Ordinario semper fas erit. Praedictae deputationes et delegationes in

scriptis ab Ordinario fiant et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare ut in iudicio compareant, terminos dilationis concedere quoties rationabiliter ab iis qui ius habent petantur, edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda et in actis ipsis recensenda.

Defensor matrimonii antequam munus sibi commissum suscipiat coram actorum moderatore iuramentum praestabit de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quaelibet acta ne vitio nullitatis concidant; et eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda.

Constituto tribunali, ad acta conficienda progredietur. Iam probationes de non consummatione tales esse debent ut penitus excludant dubium, secus concedi dispensatio nequit. Ad dubium autem omne excludendum ius tres potissimum exigit probationes, scilicet: 1) utriusque coniugis depositionem de non consummato matrimonio iuramento firmatam; 2) inspectionem mulieris factam a designatis obstetricibus expertis et fide dignis; 3) depositiones iuratas septem testium propinquorum viri et totidem mulieris, seu viciniorum bonae famae si propinqui desint. His adiiciuntur coniecturae et praesumptiones, quae ex actibus colligi possunt. Quae quidem probationes, ut recte intelligantur paucis declarandae sunt.

Itaque ad primam quod pertinet, depositio iurata coniugum de non consummatione magni aestimatur, si cum ipsa aliae probationes concordent, minimi vero, si istae claudicent vel contrarium ostendant. Si coniuges discordes sunt, illius iuramentum retinetur verum, cui ceterae probationes concordant. Quoad vero contrarium legitimis probationibus non constat, praesumptio iuris est pro eo qui iuramento fatetur consummatum esse matrimonium.

Circa secundam probationem notandum, duas designatas obstetrices ab aliquo artis medicae perito prius edocendas esse modum inspectionis rite faciendae. Requiritur autem ut sint honestae, bonae famae et prudentes, in arte et praxi peritae, et electae ab ipso Iudice ecclesiastico, praeterea ut omnia adhibeant media opportuna quibus valeant dignoscere num foemina virgo sit vel non, et ut ante inspectionem iuramentum praestent de munere fideliter adimplendo. Peracta inspectione, utraque seorsim quae repererit apud Iudicem exponet et quid ipsa sentiat de talis mulieris integritate declarabit. Hae relationes medicorum iudicio subiiciendae sunt, qui sua vice re-

ferent utrum inspectio regulariter sit facta, utrum ex ipsa habeantur idonea momenta ad iudicium proferendum de conditione talis mulieris, et utrum ex illis integritas eiusdem deduci queat nec ne.

Quod si in aliquibus locis obstetrices peritae non habeantur et inspectio corporis mulieris necessaria sit, haec medicis peritis et honestate atque aetate gravibus committatur. In hoc autem casu matrona honesta iuramento ad secretum obligata ipsi inspectioni semper assistet.

Ad tertiam probationem quod spectat, a singulis testibus praestito prius iuramento de veritate dicenda, quaerendum est: 1) An cognoscant coniuges et ex quo tempore: 2) utrum et quid circa eorum matrimonium noverint: 3) an sciant eos mutuo se amore prosecutos fuisse et quae huius amoris signa noverint: 4) utrum sciant eos post initas nuptias simul convixisse vel saltem ad plures horas simul commoratos et quatenus affirmative, dicant quo loco et quamdiu visitationes protraxerint: utrum existiment matrimonium non fuisse consummatum et qua de causa: 6) an ambos vel alterutrum bonis moribus praeditum, veridicum et peierandi incapacem existiment: 7) lectis utriusque partis depositionibus, testes interrogari debent utrum eas veritati consonas putent. Singulis depositionibus subscribent singuli testes examinati. Inter testes vero, prae caeteris audiendus est parochus.

Coadiuvandae demum erunt tres supra expositae probationes vehementibus praesumptionibus, quae ex multis vel uno valde efficaci indicio efficiuntur. Harum una est iuris et illum respicit eventum, quo coniuges cohabitaverint, condormierint et diu tacuerint. Aliae vero sunt pertinax contumacia alterius coniugis dum vertit dispensationis causa, uti constat ex Brevi concessionis quam Pius IX indulsit die 17 Oct. 1852 in quo legitur: " Et licet mulier eiusque genitor in contumacia persisterent ac testes proferre recusaverint, emersit inde moralis certitudo de non secuta matrimonii consummatione ob pertinaciam mulieris, quae debitum viro suo, illud enixe petenti, simultatibus iniuriis ac minis constanter recusavit etc. „ Denique a nimus aversus, quo mulier matrimonium contraxit etc.

Confecto in Curia processu super non consummatione matrimonii et causae canonicae existentia, eius acta exscribenda et in forma authentica ad S. Sedem transmittenda erunt.

## CAPUT VIII.

### De regulis servandis in tractandis causis matrimonialibus in specie.

Antequam progrediamur ad recensendas praecipuas regulas quae prae oculis habendae sunt in tractandis causis matrimonialibus in specie, aliqua sunt generatim praemittenda.

I. Coniuges in caussis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius dioecesi maritus domicilium habet. Tralatitium siquidem in iure est, uxorem, viri sui domicilium et forum sortiri. Quod si coniugale vitae consortium per separationem a toro et mensa abruptum sit, hoc in casu iudex competens erit Ordinarius ille in cuius dioecesi domicilium habet pars contra quam proceditur. Si vero sublatum sit per malitiosam viri vel uxoris desertionem. iudex competens est Ordinarius in cuius dioecesi pars deserta domicilium habet. Cf. cl. Mansella in op. de *impedimentis matrim. dirim.* pag. 174. Postquam citatio iudicialis indicta est, mutatio domicilii coniugum, immutationem iudicis competentis minime operatur.

II. Ut in tribunali ecclesiastico caussa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium contractum iuridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi iure habiles ad accusandum habentur (1). Porro in quibusdam impedimentis ipsi coniuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo, ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et

---

(1) Ab accusatione matrimonii et a testificando contra illud vel pro eo nominatim repelluntur: 1) Qui turpis quaestus causa accusant. 2) Qui dum proclamationes fierent scientes impedimentum dirimens, illud non manifestarunt. Cf. Pirhing Lib. 4, Tit. 18. 3) Repellitur mulier quae gravi metu contraxit, sed postea carnalem copulam sponte admisit. 5) Regulariter non admittuntur sine aliis adminiculis qui absentes per literas matrimonium accusant. 6) Quamvis admittatur accusator de auditu, licet auctor a quo impedimentum adesse audivit nequeat admitti, repellitur tamen testis de auditu si is a quo audivit ut inhabilis repellatur ad tale testimonium ferendum. Cf. Pirhing 1. c. n. 8.

quandoque debet, quando praesertim contra alicuius matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama fundamento veritatis non destituta de alicuius impedimenti existentia divulgata sit.

Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri semper debet in scriptis: si oretenus facta fuerit, iudicialis reddenda erit iuxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adiuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis innotescant, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

III. Praemittendum est quod si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quarum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nominibus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum vicarium generalem, sive per alium virum probum et expertum e clero eligendum, eos examini subiiciat iuxta datas interrogationes, requisito prius iuramento de veritate dicenda, caeterisque servatis quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subiiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur. Quoad singulos in iudicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis, litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erunt referendae.

Ceterum inter examinandos primo loco venit ille qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distinteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit. Secundo loco veniunt coniuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua iura tueri, et rationes, deductiones,

ac facta allata aut reiicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subiecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter coniux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Iuxta casuum diversitatem a coniugibus inquirendum erit, ut si quae documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad coniugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cuiuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

Si ambo coniuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu emergentia distincte iisdem obiiciantur, ut fraude si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

Post coniuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iisdem notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare, augere aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur quae ad rectum proferendum iudicium aut necessaria, aut opportuna censeantur.

Quatenus vero actorum moderatori, aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

Publicato processu, excutientur rationes quas partes ad sua iura tuenda allegaverint, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc iure, ut lata sententia, de iniustitia postulari nequeat et reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut

eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent refutare valeat.

His peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Iamvero ut sententia ab Ordinatio seu eius delegato rite feratur, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; expediet quoque ut causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et nonnisi audito eorum voto sententia proferatur. Haec vero in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ut nihil essentiale omittatur. Sententia subscriptione iudicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem, relicto iisdem illius exemplari, de qua re in scripto fides erit facienda.

Iudex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex coniugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et caussa finita censebitur. E contrario si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis coniuges iudicio Praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali pastulare; quam appellationem primus iudex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

IV. Praemittendum est quod quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de iure appellatio esset facienda. Ordo vero appellationis erit prout sequitur. Si prima sententia a curia Episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam Metropolitanam; si vero a curia Metropolitana ea prodierit, appellabitur ad Apostolicam Sedem. Ceterum ad S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit caussam ad ipsam Apostolicam Sedem ab initio et immediate deferre.

Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit una cum integro processu, ceterisque omnibus ad caussam iterum iudicandam pertinentibus, ad tribunal ad quod appellatum est. Porro hoc tribunal omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea

omnia peraget quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novae informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu iam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus quas necessarias iudicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adiungenda, vel novi aliquid investigandum reputaverit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit, proprias animadversiones exponere valeat.

Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, iudex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, modo quo supra declaratum est, sententiam pronunciabit, omnia servando quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

Quamvis utraque sententia conformis pro validitate coniugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio coniugum erit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio caussarum matrimonalium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera

pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei salva conscientia acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste iniusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remanebit utrique coniugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

His praestitutis ad singula impedimenta deveniendum est.

### § 1. *De impedimentis cognationis carnalis, vel spiritualis, et affinitatis.*

1. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit eiusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas, quae ex praecedenti matrimonio processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo coniugum, et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit ut eiusdem parochi obsignatio a curia episcopali authentica declaretur.

2. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in iudicium vocandi erunt et iuridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur, nota sit aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi adiumento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; eius tamen sedulo consideranda erit origo et rationes quibus innititur. Ceterum iudex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et numquam licere contra eadem iudicare, nisi ex certis et evidentibus argumentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt ut libri baptizatorum, confirmatorum, et

matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur et accurate custodiantur.

§ 2. *De impedimento publicae honestatis.*

1. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum, vel regesta existentia penes ministros haereticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extraiudicialiter confirmandum, tamen iudex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in iudicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci quae ad factum rite determinandum conducere poterunt.

2. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad iudicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint, et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur, ex documentis si suppetant, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex indiciis quae iudex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis quae facta exposita aut antecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia iudex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine, fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae: si primum,

praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit iudicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrimque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex iure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit, ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

3. Quod si id casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a maiori cum infante contracta, ipso iure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum, sive aliorum qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

### § 3. *De impedimento vis et metus.*

1. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, reiici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si liber iam a metu sua sponte in coniugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso

animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili facta sit; et si hoc iam fluxerit, quaerendum erit quanam de causa hoc acciderit, ut iudicari possit utrum accusatio admittenda an reiicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum determinandum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, et ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi sunt. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

2. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de illata coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent domesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba contumeliosa adhibita, intentata haereditatis privatio, eiectio a paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subiecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas, aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur perficerent, et animo ita essent immiti atque obstinato, ut a nemine sibi contradici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur ut et propria sensa exponere, et iuxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam eiusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi iis quos de matrimonio ineundo consilia praebituros iudicaverint.

3. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo cum quo postea contraxit; et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione, aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit ut a coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit; utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos, utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit, utrum et quomodo altera pars operam dederit ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum quando contractus matrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit, utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit, sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur, utrum nempe his omnibus hilaris, prompta, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque eius agendi ratio ergo alteram partem, et erga eiusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa, utrum libenter et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de caussa quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum considerari debet, utrum hac de caussa inter coniuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus; a quo tempore post matrimonium istae quaerimoniae, incoeperint, et ex qua caussa vel ratione, utrum ad tales lites et dissensiones tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

Ad praedicta cognoscenda in iudicium vocandi erunt ambo coniuges, eorumque parentes, illi praesertim qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine ob quem ad vim adhibendam ducti fuerint. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusan-

tis, et interrogandi de omnibus quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum quae in actis habentur viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post coniugum separationem, si haec locum habuerit. In his examinandis iudex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae caussa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi qui eiusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

Caeterum in hac re iudex sciat, matrimonium esse per se factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, quousque evidentes rationes eiusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed iudicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

### § 4. *De impedimento ligaminis.*

I. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, vel consequi asseritur ex matrimonio, catholico modo a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis contracto, et postea per sententiam suorum tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt.

Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius coniugis; et ideo locum non esse eiusdem dissolutioni declarandae in iudicio, nisi de morte alterutrius coniugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae

praesumptiones, sed requiritur certus de ea nuntius, aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio aequipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu iudex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius coniugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerit ante vel post prioris coniugis mortem ut ita iudicetur utrum secundum validum an nullum fuerit.

2. Quando ad mortem prioris coniugis probandam praesto non sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a iudice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius de quo agitur, revera accidisse affirmaverint, aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint quem mortuum asserunt; quo tempore, quo loco mors acciderit, qua de caussa, ubi cadaver sepultum, utrum adsint et ubi commorentur alii qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias, a quo tempore fama de morte vulgari coeperit, et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum qui primitus de re ista sunt loquuti, utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint ut talem notitiam evulgarent. His cognitis, in iudicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subiiciendi ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat iudex, ne admittat eos qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti; utrum

pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes qui personas de quibus agitur plene non cognoscant et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo quae necessaria est ut iudicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt: aetas personae quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit; tempus eiusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius, locus vel loca, ad quae se contulerit, utrum infirmae valetudini noxia, an et quibus vicissitudinibus subiecta fuerit, ex. gr. num ibidem bella, vel pestilentiae saevierint; eiusdem personae physica constitutio, utrum sana et robusta, an debilis et infirma. Erit similiter perpendenda caussa quare e propria discesserit domo, utrum nempe ad negotium vel ad artem aliquam exercendam, an potius ut coniugem derelinqueret. Haec cognosci vel deduci poterunt ex benevolis, aut contrariis relationibus, quas vel coniuges habuerunt inter se, durante eorum contubernio, vel ille qui discessit continuavit cum altero coniuge sive per litteras sive per nuncios; si enim constiterit, ad tempus talem epistolarum sive relationum consuetudinem adfuisse, et postea cessasse, quin cersationis caussa aut ratio appareat, gravis de morte obita praesumptio habebitur; si vicissim constiterit eum qui discessit nunquam epistolarum commercium habuisse cum sua familia, aut cum propinquis et amicis, indicium mere negativum nullam probationem facere poterit. Ponderandum quoque erit genus vitae, quod discedens in aliena regione amplexus fuerit; si vitam et artem militarem exercendam elegerit, vel arti nauticae aut servitio alicuius navis sese addixerit, et si cognoscatur in quo exercitu militaverit, aut in qua navi servierit, inquisitiones erunt faciendae penes duces esercitus illius, et penes gubernatores vel officiales navis. Si cognita fuerint loca, in quibus commoratus est, in singulis locis, et praesertim in illo in quo commorabatur, quando eius indicia perdita fuerunt, investigationes erunt faciendae. Ad has tribunal adhibebit idoneas personas si praesto

sint, vel etiam civiles auctoritates, ab iisdem postulando ut, quibus pollent modis, de illo opportunas investigationes faciant, atque etiam in subsidium vocentur publica diaria cum indicatione nominis, cognominis, patriae, professionis, et conditionis illius, de quo quaeritur. Item si fieri possit, tribunal curabit, ut locis in quibus idem commemoratus fuerit publica edicta affigantur, et singuli excitentur, ut notitias, si quas habent, velint suppeditare. Si omnibus istis adiumentis adhibitis nihil omnino poterit reperiri, et si omnes circumstantiae ad mortem prioris coniugis ante secundas nuptias, de quarum valore agitur, adstruendam conspiraverint, iudex sententiam proferre contra secundum matrimonium non poterit; non enim constaret de eius nullitate. Quod si de matrimonio contrahendo agatur, hoc permitti numquam poterit, donec de morte prioris coniugis certo constiterit.

3. At si non ex isto capite agatur, sed ex eo quod primum matrimonium in haeresi contractum, rescissum fuerit ab aliam caussam, specialia quaedam erunt observanda. Et primo advertendum est, Evangelicam et Apostolicam doctrinam esse, matrimonium valide celebratum solvi non posse propter adulterium, vel propter molestam cohabitationem, aut longam et affectatam coniugis unius absentiam, aut propter aliud quodcumque motivum ab haereticis confictum. Quare si constiterit, a tribunalibus haereticorum ob aliquam ex istis rationibus praecedens matrimonium dissolutum fuisse, caussa in favorem secundi matrimonii a tribunali catholico ne admittenda quidem seu introducenda erit. Si vero eiusdem dissolutio fuerit decreta ob alium titulum a iure canonico recognitum, sciendum est, acta a tribunali haeretico confecta valore iuridico carere, et ex ipsis solummodo iudicium proferre catholico iudici minime licere. Quare tunc caussa ex integro erit instituenda, et iuxta ss. canones pertractanda. Vetitum tamen non est, imo aliquando expediet, ut acta tribunalis haeretici requirantur, quo plenior factorum et circumstantiarum cognitio attingatur. Imo si huiusmodi documenta a partibus fuerint exhibita dummodo nihil aliud obstet, poterunt adhiberi, atque ex illis indicia colligi. Partes tamen erunt semper audiendae, nec non, quatenus fieri poterit, etiam testes singuli iterum in iudicium vocandi, et interrogandi ad normam harum regularum. Neque omittenda aliarum personarum iuridica depositio si adesse cognoscatur; sicut neque alia acta, quae vel moderator vel defensor matrimonii necessaria reputaverint. Si perpensis omnibus

iudex censuerit, sententiam edicendam esse conformem sententiae a tribunali haeretico prolatae, numquam tamen istam sententiam tamquam sui iudicii motivum invocare debebit; neque ullo modo post eam existimandum erit, duas adesse sententias conformes, a quibus necesse non sit appellare.

4. Quoad matrimonia in infidelitate contracta, si haec dissoluta dicantur per sententiam editam vel ab auctoritate civili, vel a quovis tribunali haeretico, eadem erunt servanda quae dicta sunt de matrimoniis baptizatorum resolutis per sententiam tribunalis saecularis, nempe caussam admittendam non esse, si rescissio decreta fuerit ex titulo ab Ecclesia non agnito, vel servatis servandis esse ex integro instituendam, si contrarium contigerit. Si vero coniugum separatio acciderit absque ullo iudicio, observandum utrum pars quae coram tribunali catholico agere intendit, secundum matrimonium contraxerit post baptismi susceptionem, an ante. Si matrimonium acciderit cum parte catholica post baptismi susceptionem, erit inquirendum, utrum praecesserit coniugis adhuc infidelis canonica interpellatio, aut saltem a legitima potestate fuerit super eadem interpellatione dispensatum. Quatenus constiterit de facta interpellatione, aut de illius dispensatione, primum matrimonium nequit amplius constituere vinculum secundum connubium irritans; quatenus vero neque interpellatio, neque eiusdem dispensatio praecesserit, primum matrimonium obstabit quidem secundo, sed Ordinarius iudicium suspendere debebit, et casum cum omnibus suis circumstantiis ad S. Sedem remittere, quae ipsi Ordinario quid faciendum sit, indicabit. Ad probandum vero, utrum interpellatio vel eius dispensatio intercesserit consulendi erunt libri matrimoniorum vel etiam regesta curiae, in quibus haec accurate erunt semper recensenda. Quod si secundum matrimonium contractum fuerit etiam in infidelitate, praesumendum quidem erit quod, antequam persona, de qua agitur, ad baptismum admitteretur, servata fuerint omnia quae ss. canones pro his casibus statuunt; sed si institutis opportunis investigationibus, adhuc dubium subsit, ad S. Sedem erit recurrendum.

### § 5. *De impedimento impotentiae.*

Ad impugnandum ex capite impotentiae matrimonium solummodo coniuges admittuntur, quia ipsis solummodo hoc factum

cognitum esse potest, et ipsi tantummodo de hac re solliciti esse debent. Ut autem impotentia matrimonium contractum irritet, necesse est ut sit antecedens atque perpetua, quae scilicet naturalibus atque licitis remediis tolli non possit. Ista impotentia si fuerit absoluta, seu talis ut omnino impossibilem reddat coniugalem copulam, matrimonium dirimit semper, et cum qualibet persona contractum; si vero relativa tantum, matrimonium dirimit solummodo cum illa ad quam impotentia ipsa refertur. Ita igitur in causis huius generis investigationes erunt dirigendae, ut tandem deveniatur ad adstruendam vel excludendam assertam impotentiam antecedentem et perpetuam, sive absolutam sive saltem relativam. Hunc in finem prae oculis habenda erit instructio supremae Congregationis S. Officii. Cf. *App. N.* 3.

Quod si casus alius occurrat, de quo mentio heic facta non est, ad iuris communis normam pertractetur, ac decidatur oportet.

# APPENDIX

## Quorumdam monumentorum Apostolicae Sedis quae ad utramque huius operis partem referuntur.

---

## I.

### CONSTITUTIO BENEDICTI PP. XIV

IN QUA PRAESCRIBITUR ORDO ET FORMA IN IUDICIIS CAUSARUM MATRIMONIALIUM SUPER MATRIMONIORUM VALIDITATE VEL NULLITATE DECLARANDA SERVANDUS (1).

**BENEDICTUS**

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

§ 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae Ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis Curiis inconsulta nimis iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum ma-

---

(1) Pene tota haec Constitutio in eo versatur, ut iudicem deputandum, officium defensoris matrimonii explendum, sententiarum denique valorem et effectum edicat et sanciat.

trimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter feminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus apostolicae nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem, proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, alter qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes, contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam

sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

§ 4. Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis literis ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos scriptis vicesima sexta augusti anno secundo Pontificatus nostri, providere curavimus; in quibus ea praescripsimus, quae sacris Canonibus, et Concilii tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus; quod, quamvis Concilii tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis literis praescriptum pro iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

§ 5. Quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine hac nostra in perpetuum valitura sanctione costituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire quotiescumque contigerit, matrimoniales

causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. Et demum defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem conseatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverit; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat: cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit.

§ 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam vel oscitantiam vel collusionem defensoris et partium interposita, si ambo vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra *decem dies* non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra poligamos a sacris Canonibus et Constitutionibus apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

§ 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur, et si iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique cuniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerit, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro va-

uditate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur, sin minus a Iudice primae vel secundae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt Iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi Iudex commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ 13 Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque suburbiis et districtu Vicarium nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque ut supra omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii tridentini, vel in causarum Palatii nostri auditorio, dummodo Nobis et romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii tridentini interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

§ 14. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii tridentini interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium tridentini Concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus

examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

§ 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis vel romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, *ac irritum et inane*, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus in genere vel specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus om-

nibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 17. Volumus autem' ut praesentes literae in valvis Ecclesiae lateranensis et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam maiorem tertio nonas novembris anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri anno secundo.

D. CARD. PASSIONEUS.

## II.

### Instructio edita a S. Congregatione Concilii die 22 augusti 1840 pro confectione processus in causis matrimonialibus.

Cum moneat Glossa *(in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez *(de matrim. lib. 7, disp. 107)* et Card. Argenvilliers *(in dissert. matrimonii rela. inter vota Constantini P. 5. vol. ult. n. 16)* plura hinc a sacris Canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (in Constit. *Dei miseratione)* processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque

accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, s. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. Canones, citatam s. m. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda; exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a sacro Conc. trid. *(sess. 24, cap. 20, de ref. § ad haec),* ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. Constit. *Dei miseratione § 4*) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere *Nullius*, licet cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta s. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus Iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel iudex delegatus citari mandabit Defensorem matrimonii, quatenus in Curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitut. s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic Defensor matrimonii *citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant* (1). Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc Defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata Cancellario seu

(1) Ex cit. Const. § 7.

Notario, aperienda, illo postulante ex Iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio Iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies pars nullitatem matrimonii allegans comparebit ut supra dictum, coram Iudice, adstante Defensore matrimonii et Cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a Defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit Cancellario.

Interim dum pars erit examinanda ipse Cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a Iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a Iudice vel a Defensore matrimonii, Cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a Defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, Iudex illud suspendet, ac destinabit, etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine Cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem Iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante pubblicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cruțcis; dein Iudex et Defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et Cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato Defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante Defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis,

ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis prout Defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus,* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. (iu cap. *litterae vestrae: de frig. et malef.*). Ut id facilius exequi Iudex valeat, Defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante Defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi, designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam Defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam Defensoris matrimonii erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem Defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata s. m. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus Defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium: utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit, eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt Periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim Defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam Defensori matrimonii ad exhibendas notulas Peritorum Medicorum et Chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, Iudex eliget quinque Peritos, tres scilicet Medicos et duos Chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam tum quoad religionem et honestatem, atque his Peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis *honestis mediis* ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, quibus Periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent Iudex, Defensor matrimonii, Cancellarius ac Periti. Singuli ex Peritis ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, *non tamen illicitis*, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, Defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen Peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum Peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex Peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, Iudex, Defensor validitatis matrimonii et Cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de Peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem Peritis uno Medico, et altero Chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae Matronae pariter a Iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit; quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus

Matrona et Obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente Matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, Defensor matrimonii et Cancellarius cum Peritis, ut supra ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae Obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit Defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi Periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab Obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque Matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus Defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam Iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a Iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a Defensore matrimonii et a Cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto Defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit Defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione.*

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit Defensor matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si haec matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit Defensor matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad Iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede Cancellario.

## III.

INSTRUCTIO CONGR. S. O. PRO CONFICIENDO PROCESSU SUPER VIRI IMPOTENTIA ET NON SECUTA MATRIMONII CONSUMMATIONE, ACCEDENTE PONTIFICIS DISPENSATIONE AB ACCURATA OSSERVANTIA PRAESCRIPTIONUM BULLAE BENED. XIV *Dei miseratione.*

Iudex ad hoc deputatus prae oculis habeat quod examina quaecumque illa erunt, fieri debent sub iuramenti fide et Cancellarius Curiae episcopalis, vel altera persona deleganda, interrogationes, responsa, et quaelibet acta scripto tradet, facta prius demonstratione mensis, diei, et anni loci et personae Iudicis, coram quo conficiuntur acta, necnon cuiuslibet testis examinandi. Testes singillatim audiantur et in fine examinis subscribant proprio nomine vel cum signo crucis, quatenus sint illiterati. Primus ille coniux audiatur qui actor est in causa. Interrogationes Iudicis arbitrio, prudentiae et sagacitati relinquuntur: attamen pro eius commoditate sequentes traduntur, quibus alterae addantur, prout melius in Domino iudicaverit ad factorum veritatem magis magisque eruendam, nimirum.

A quanto tempore se cognoverint sponsi ante matrimonium: an parentum consensu sponte et mutua voluntate illud inierunt: an in sequenti nocte in eadem domo, eodemque cubiculo et toro cubaverint officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint: an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat vel suspicetur causas, propter quas consummare nequiverint, licet iteratis vicibus etiam in sequentibus noctibus ausi fuerint: an id contigerit ob nimiam angustiam cunei mulieris, vel ob immodicum sui penis crassitudinem aut propter debilitatem, ita ut nulla vel parvi momenti esset erectio: an quae et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, et quinam fuerint effectus: quandiu simul vixerint et condormierint: quis primus alterum coniugem deseruit, et an etiam aliae causae accesserint; an et quibus parentibus, amicis, vel vicinis secreto manifestaverint quod matrimonium non fuerit consummatum, eosque singillatim nominet.

Haec vel similia etiam ab altero coniuge requirantur et an inter sese apprime conveniant, dignoscatur.

Deinde testes qui ab ipsis coniugibus fuerint recensiti, seorsim examini subiiciantur. Prius vero eorumdem parentes audiuntur uti praesumptive magis informati: postea vero famuli et viciniores. Si quis illorum obierit, vel longinquas regiones petierit, in actis innuendum erit. Interrogationes autem sequentes proponantur, sed immutandae pro rerum adiunctis.

An cognoscat coniuges, de quibus sermo: an sciat utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint et matrimonium consummaverint: an sit instructus, quibus de causis consummare nequiverint: et an et quid ad illas amovendas experti fuerint: utrum et quae conquestio inter ipsos extiterit: quaenam sit fama tam apud se, quam apud alios de hac praetensa non consummatione.

Singulorum testium absoluto examine, duo saltem ex celebrioribus civitatis medicinam et chirurgiam callentes seligantur, corpus viri inspecturi super eius potentia ad coendum cum muliere maxime virgine, nec ille physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem ut mediis utantur licitis et honestis, et perscrutandum praecipue, utrum illius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata: nimirum an penis naturalem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam: an aliquo morbo fuerit affectus, a quanto tempore et cuiusnam caracteris, an fibrae compactae, et consistentes, seu potius flaccidae lassaeque sint. An testes sani, naturalisque magnitudinis et utrum aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent: quo in casu morbi caracterem et causas investigabunt: an vetus vel recens, naturalis vel acquisitus, et an curabilis nec ne absque salutis periculo.

Quibus omnibus diligenter inspectis, singula iuramento scripto tradent, et quid ipsi sentiant de viri impotentia an acquisita vel ingenita, absoluta vel relativa tantum ingenue fateantur, nullaque relicta ambigendi ratione.

Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem obstetricibus in arte et praxi peritioribus, ac bonis moribus imbutis inspiciantur: adhibito prius mulieris balneo, si necessario praemittendum physici et ipsae iudicaverint. Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, iuncturam, duritiem, sugositatem et colorem: an hymen sit integrum, vel contractum in totum vel in parte: hoc in casu, an et qua naturali causa seu potius e congressu extranei corporis contigerit; an myrtiformes carrunculae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula quae repererint, sub Sacramento Iudici ac Cancellario scripto fideliter tradenda distincte exponant, et quid ipsae sentiant, de illius integritate, declarent.

Earumdem depositiones praedictis physicis examinandae tradantur ut decernant, num mulier adhuc integra habenda sit, ac matrimonium non consummatum iudicandum.

Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis physicis concinnatis interrogationibus iterum obstetrices examinentur, et si

nihilominus anceps peritorum iudicium permanserit, corpus mulieris ab ipsis inspicietur, adstante vero matrona antiquae virtutis nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda: expleta inspectione iudicium dabunt physici, singulasque proferent rationes quibus ipsorum sententia innititur.

Praetereunda tandem non erit investigatio super qualitate testium, audito eorumdem Parocho, vel alia proba et apprime instructa persona, utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones. Omnibus superius recensitis diligenter ab Ordinario collectis illa ad S. Congregationem mittere festinabit decretorio eius iudicio subiicienda.

## IV.

### Norma tradita a S. R. Inq. ad probandum quasi domicilium.

Saepe ad hanc Sedem Apostolicam delatae sunt controversiae de illorum matrimoniis, qui cum pertineant ad loca in quibus publicatum est decretum Concilii Tridentini de clandestinitate, ad locum se conferunt in quo illud publicatum non est, ut liberius ibi possint maritali foedere coniungi citra illas difficultates quibus in patria praepediuntur. Inde et gravissimae de validitate quaestiones, et gravissima simul incommoda oriri solent, quae non modo incertum tenent sacrorum Antistitum animum in iudicando, verum etiam pastoralem eorumdem zelum vehementer commovent. Ad haec incommoda removenda SSmus Dominus Noster PIUS PAPA IX. pro ea, qua maxime urgetur totius dominici gregis sollicitudine, animum adiiciens, hanc rem examinandam discutiendamque commisit Supremae Congregationi S. Officii, et interim hanc ad te dare epistolam mandavit ut significare velis quod de eadem re sentis et experientia cognitum habes.

Certum quidem est, perrara ea fore matrimonia, de quibus hic agitur, si canonicae praescriptiones de quasi domicilio ab iis qui e loco profecti ubi lex tridentina de clandestinitate viget ad eum pergunt ubi non viget, diligenter accurateque servari contingeret. Perspectum enim tibi exploratumque est quod a s. Congregatione Concilii iampridem definitum et summi Pontificis Urbani VIII. auctoritate confirmatum est in brevi quod incipit *Exponi nobis* et rogatu Archiepiscopi Coloniensis editum fuit die 14 augusti an. 1627. Iuxta ea quae in hoc decreto sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Tridentina lex viget nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant. Ad constituendum vero quasi domicilium, quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo haec simul

requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis habitatio iudicandum est quasi domicilium acquisitum fuisse et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verumtamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est huiusmodi indicia habere quae iudicem securum faciant: inde est quod adhiberi maxime debet regula a summo Pontifice Benedicto XIV. (1) confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex praesumptione iuris intentionem permanendi per maiorem anni partem extitisse, et quasi domicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec iuris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere iudicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasi domicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scilicet ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent.

Huiusmodi canonicae praescriptiones, praesertim in quantum exigunt ut habeatur animus permanendi maiore anni parte, eludi solent in matrimoniis, quorum incommodis occurrendum nunc est, minimeque servantur. Opportune igitur hisce malis remedium afferretur, si eaedem canonicae praescriptiones, salva matrimoniorum libertate efficaciori et quantum humana patiuntur haud facile eludenda sanctione communirentur. Ad hunc effectum Sanctitas Sua suffragio adhaerens Emorum Patrum Cardinalium una mecum Inquisitorum Generalium a te peculiari modo exquirendum mandavit, utrum expediat declarare, Ecclesiam praesumere, neutrum ex illis qui e loco discedunt ubi tridentina lex viget habuisse voluntatem permanendi ad maiorem anni partem, ideoque nec quasi domicilium acquisiisse in loco ubi ea lex non viget; et quam voluntatem forte iactant esse simulatam, et matrimonium quod contraxerint esse invalidum nisi ipsi vel alteruter eorum Ordinario loci ubi matrimonium contrahitur vel eius delegato se sisteterint, et comprobata sicuti par est sui status libertate, animum ibidem commorandi ad maiorem anni partem concludenter demostraverint; ut si quis ex. gr. concludenter probet se ad sex menses vel domum

(1) Const. *Paucis* diei 12 Martii 1758.

conduxisse vel operam suam apud aliquem locasse, in eaque re nullam esse fraudem duo probi homines sive viri illi sint sive foeminae testentur; vel si sola etiam huiusmodi testium fides adducatur, qui scilicet Curiae episcopali vel eius delegato probe cogniti sint; quique profiteantur scientiae causam afferentes sibi notum esse, eum de quo agitur vere sincereque fixum habere, sex saltem mensibus in eodem loco commorari, vel denique alia hisce similia afferantur, quae pro concludenti probatione in iudiciis admitti solent.

Quod si gravibus forte rationibus id futurum observatu difficile vel utcumque minus opportunum tibi persuadeas, tunc considerandum quoque proponitur, utrum expediat, ut in locis ubi contrahi solent matrimonia, quae tot tantaque pariunt incommoda, et nominatim in Anglia rite publicetur decretum Concilii Tridentini *Tametsi* 1. sess. 24 *de refor. matr.*, ita tamen ut obliget catholicos dumtaxat inter se contrahentes, quemadmodum servatur in iis locis ad quae ab Apostolica Sede extensa fuit declaratio edita anno 1741. a summo Pontefice Benedicto XIV. pro Hollandia.

Fac igitur, ut adhibita quoque si lubet praestantium virorum opera, hac in re sane gravissima studiose indaganda sedulo verseris, et sententiam deinde tuam scripto tradas mihique communices. Nec te pigeat simul enucleate rationum momenta exponere quibus ad ea quae hic tibi proponuntur sive admittenda sive excludenda fueris adductus.

Non dubitatur, quin nihil sis praetermissurus, quo hoc munus tibi a Sanctitate Sua demandatum sedulo celeriterque exequaris. Interim fausta cuncta ac felicia tibi precor a Deo.

Amplitudinis Tuae

Romae die 7 iunii 1867.

Addictissimus uti frater
C. Card. Patrizi.

## V.

### SUPREMAE SACRAE CONGREGATIONIS

#### INSTRUCTIO AD PROBANDUM OBITUM ALICUIUS CONIUGIS.

Matrimonii vinculo duos tantummodo " Christo ita docente, copulari, et coniungi posse, alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est. „

Verum ad secundas, et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus, ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta Sacrorum Canonum, quibus, ut quis posssit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte coniugis certo constet, uti cap. *Dominus de secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur *certum nuncium* uti cap. *In praesentia*: *De sponsalibus, et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias.* 21 *Augusti* 1670 a Clemente X sancita, et in Bullario Romano inserta super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis, et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent si in eiusmodi causis peragendis, omnimoda, et absoluta certitudo de alterius Coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Istructione his verbis. „ *Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint, et sufficientes*) sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda, ac statuenda, imo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quaque regiones adeundi in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes, atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti, mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis, Ecclesiasticos praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem, possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque.

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a Sacris Canonibus minime sufficiens ad iustam probatio-

nem habetur. Unde sa. me. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 Iulii 1789 rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum Canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet e regestis Paroeciae, vel xenodochii vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum, et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis, gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum, atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum, haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis, et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiore, vel remotiore nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti

relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit plures indicare fontes ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores colligi, et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex. gr.*

*An* ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie, religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis, aut aliunde sperare posset.

*An* discesserit annuentibus uxore, et coniunctis; quae tunc eius aetas, et valetudo esset.

*An* aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

*Si ob militiam obierit*, a duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

*Si negotiationis causa iter susceperit* inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus: utrum in regionem ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames, et pestilentiae *etc. etc.*

*Si maritimum iter fuerit aggressus* sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum; quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori, et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis Directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori, ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis,

atque insuper auditis plurium Theologorum, et iuris prudentum suffragiis, denique suum iudicium pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta, et implexa illis videatur, ad Sanctam Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

## VI.

## INSTRUCTIO CARDINALIS CAPRARA, LEGATI A LATERE IN GALLIIS, CIRCA REVALIDATIONEM MATRIMONIORUM NULLITER INITORUM.

Nos Ioannes Baptista,
tituli Sancti Honuphrii, S. R. E. Presbyter Cardinalis Caprara, etc. etc.

Undique accipimus innumera proprie connubia exsistere nulliter inita, partemque unam saepe saepius renuere in faciem Ecclesiae sese sistere, ad copulationem suam ratam validamque coram Deo reddendam, quamvis pars altera rectè disposita id velit et satagat. Animadvertentes quot mala, quotque discrimina tum fidelium animabus, tum familiarum tranquillitati ex hoc irreligioso renuentium ingenio, agendique ratione immineant, in amaritudine animi nostri lacrymas fundere cogimur, et miserrimo innocentium compartium statui, in quo aegre versari coguntur, merito compatimur. Iam diu officii nostri sollicitudo premitur, et plurium Episcoporum consultationes et innocentium postulata undique proveniunt. Verum res difficultatibus obnoxia est; pertimescimus enim ne dum bonum operari nitimur, aliquid mali exoriatur. Sed ut bonum assequamur, et imminentia mala praecaveantur, hanc instructionem emittendam ducimus, qua Ordinarius in casibus particularibus huiusmodi se haud difficile expedire, et opportune providere poterit.

### PRIMA INSTRUCTIONIS PARS

#### Quoad matrimonii renovationem, si uterque contrahens recte disponatur.

1. Qui civiliter, sive coram quocumque extraneo sacerdote, duobus saltem testibus praesentibus, aut duntaxat coram duobus testibus, consensum mutuum de praesenti exprimentes matrimonium inierunt, tunc temporis, cum ad pro-

prium parochum, seu Superiorem legitimum, aut ad alium sacerdotem, quique a catholica unitate non recesserant, aut nullatenus, aut nonnisi difficillime, seu periculosissime recursum habere potuerant, moneantur sic contrahentes de huiusmodi matrimonii validitate, et tantummodo hortentur ut nuptialem benedictionem a proprio parocho recipiant.

2. Qui vero ita contraxerunt, sed tunc temporis, cum absque gravissima difficultate seu periculo, recursus patebat ad unum ex sacerdotibus praefatis quive matrimonium quomodocumque inierunt cum aliquo dirimente impedimento absque legitima dispensatione, aut cum dispensatione defectu legitimae potestatis irrita; matrimonium, servata forma sancti Concilii Tridentini, denuo contrahant.

3. Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis coniugibus, et ipsimet fortasse ex ignorantia invincibili sint in bona fide, et absque gravis scandali, seu perturbationis periculo certiorari nequeant de nullitate matrimonii, hisce in circumstantiis in bona fide relinquendi sunt, quemadmodum per sacros canones disponitur.

4. Si contrahentes in mala, vel dubia fide versentur, aut si in bona fide exsistentes, de nullitate matrimonii certiorari possint absque gravis scandali, seu perturbationis periculo, unde locus detur matrimonii renovationi, eorum matrimonium in facie Ecclesiae celebrandum est iuxta modum inferius praescriptum.

5. Si praeter clandestinitatis, aliud ecclesiastici iuris obstet impedimentum, dispensatio praemittatur, iuxta indultum inferius exaratum.

6. Si nullitas matrimonii occulta sit, seu communiter ignoretur, matrimonium coram proprio parocho, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala contrahendum est, adnotata deinde particula in secretorum matrimoniorum libro.

7. Si vero nullitas publica sit, ad scandalum removendum, matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini, celebrandum est: quod si Ordinarius, ob peculiares circumstantias, expedire iudicaverit, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur; secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit, et quamprimum removeatur.

## ALTERA INSTRUCTIONIS PARS

Quoad rationem convalidandi matrimonium, si eiusdem convalidationem pars una petat, et altera renuat.

8. Si huiusmodi renuentia proveniat ex indispositione ad Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptionem, paternis monitis curandum est ut renuens rite disponatur.

9. Quatenus pars indisposita ad Sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad matrimonii celebrationem procedere, non obstante illius indispositione; pars enim innocens et instans, attentis circumstantiis, licite utitur iure suo: Ecclesiae minister eidem innocenti directe ac licite reddit ius suum, et indigna renuentis susceptio eius duntaxat indispositioni tribuenda est.

10. Si renuentia oriatur ex ignorantia, vel aliquo errore contra leges, aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in charitate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc

11. Satagendum est, ut specialem procuratorem constituat qui eius nomine matrimonium contrahat de more; aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho, vel alteri sacerdoti Ordinarii aut parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur.

12. In huiusmodi matrimonii celebratione ratio quoque habenda est tum existentiae alicuius impedimenti, tum matrimonii nullitatis sive publicae sive occultae, et servandae sunt regulae superius traditae, numeris 5, 6 et 7.

## TERTIA INSTRUCTIONIS PARS.

Si hactenus praescripta obtineri nullatenus possint et pars una ad celebrationem matrimonii, iuxta superius tradita, faciendam adduci nequeat; dummodo de praesenti exhibeat consensum remanendi in matrimonio, mature perpensis urgentibus circumstantiis, et attentis servatisque conditionibus, et forma inferius praescriptis, nec obstet publicitas fornicariae copulationis et non iusti matrimonii, ad dispensationem in radice matrimonii, seu ad matrimonii sanationem in radice, in casibus particularibus deveniri posse iudicamus, ut ita saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati, et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit.

13. Ordinarius uti poterit facultate, apostolica auctoritate inferius demandanda, dispensandi scilicet in radice matrimonii, seu matrimonium, in radice sanandi, postquam tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum, aut per eiusdem assertionem etiam oretenus factam ipsi Ordinario, sive alteri ecclesiasticae personae ab eo specialiter deputatae, et in scriptis redigendam, constiterit, non solum renuentem in consensu de praesenti permanere, sed etiam huiusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manare, ut nihil unquam ex ea deduci aut praesumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam.

14. Si matrimonii nullitas occulta sit, Ordinarius ad sanationem, seu dispensationem in radice, ad evitanda scandala secreto deveniat.

15. Si vero nullitas publica sit, ad publicum scandalum removendum eiusmodi dispensatio, seu sanatio notorie perficiatur: aut etiam secreto, si ad aliquam praecavendam perturbationem ita Ordinario in Domino visum fuerit, dummodo tamen locus sit evulgationi peractae matrimonii sanationis, seu dispensationis, qua publicum scandalum congrue removeatur.

16. Si evulgationi eiusmodi dispensationis locus non sit, ob imminentis gravis scandali, aut perturbationis periculum, praelaudatus Ordinarius per eiusmodi secretam matrimonii sanationem, seu dispensationem, innocentis compartis animae saluti provideat, onerata eiusdem Ordinarii conscientia, ut perpensis circumstantiis, et pro sua prudentia modum exquirat, quo etiam publicum scandalum ex matrimonii nullitatis publica notitia exsistens, quamprimum removeatur, monitis interim parochis, ut donec eiusmodi publicum scandalum sublatum sit, in admittendis coniugibus ad Sacramenta, ne ulla scandali praebeatur occasio, iis utantur circumspectionis regulis, quae cuique exploratae sunt.

17. Si praeter clandestinitatis impedimentum, aliud iuris ecclesiastici forsitan obstet, legitima super ea praemittatur dispensatio, prout etiam cautum est, n° 5.

18. Si unus vel uterque contrahens per divortium seperatus sit a respectivo coniuge adhuc vivente, tradita instructio et sequens facultatum decretum executioni nullatenus demandentur, nisi prius et prout de iure constiterit de nullitate respective primi matrimonii, proveniente ex aliquo canonico impedimento, et nisi prius eiusdem nullitatis declaratoria sententia ab Ordinario lata fuerit.

19. Serventur tandem caetera de iure servanda, quae praesenti instructioni non adversentur.

## DECRETUM

### Quo apostolicae facultates demandantur.

De speciali gratia, et apostolica auctoritate a sanctissimo Domino nostro Papa Pio VII, Nobis benigne concessa: venerabili in Christo patri Episcopo..., sive eius Vicario in spiritualibus generali, infrascriptas facultates communicamus, quibus etiam per aliam personam ecclesiasticam, in casibus particularibus specialiter deputandam, uti valeant in utroque foro, et ad annum dumtaxat a die datae praesentis computandum, cum omnibus et singulis Christi fidelibus in propria dioecesi degentibus, et quando agitur de matrimoniis nul-

liter quomodocumque contractis usque ad diem decimam quartam Augusti anni millesimi octingentesimi primi, servatis forma et tenore praecedentis instructionis, et facta expressa mentione apostolici indulti:

1. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis, tam a iure quam ab homine latis, ad effectum dumtaxat apostolicae gratiae consequendum.

2. Absolvendi pariter a censuris et poenis ecclesiasticis ob matrimonii attentatum, et incestus reatum incursis, et ab attentatibus et incestus reatibus, et culpis huiusmodi, cum gravi poenitentia salutari.

3. Dispensandi super quibuscumque impedimentis iuris ecclesiastici, etiam primi affinitatis gradus in linea collaterali, et secundi primum attingentis consanguinitatis gradus, exceptis impedimentis ex sacro Ordine, et castitatis voto solemniter emisso, et ex crimine machinationis in mortem coniugis cum effectu, provenientibus. Et quatenus mulier rapta fuerit, dummodo extra potestatem raptoris in loco tuto consistat, servatis in singulis casibus conditionibus de iure servandis.

4. Dispensandi in radice matrimonii, seu matrimonium in radice sanandi, perinde ac si contrahentes, qui ad matrimonium ineundum inhabiles fuerant, et consensum illegitime praestiterunt, ab initio habiles fuissent, et consensum legitime praestitissent.

5. Prolem sive susceptam, sive suscipiendam legitimam decernendi et nuntiandi.

Praesentes denique et caetera documenta ab Ordinario et praesentium executore exquirenda et habenda, ut supra praescriptum est, necnon dispensationis decreta et commissiones ab Ordinario emittendae, in episcopali archivio diligenter asserventur. Insuper quatenus matrimonii celebrationi locus detur, iuxta regulas superius traditas, matrimonii particula in parochiali libro de more referatur, facta expressa mentione apostolicae dispensationis, ut pro omni et quocumque futuro eventu constare possit de matrimonii validitate et prolis legitimitate.

Datum Parisiis, ex aedibus residentiae nostrae, die 25 aprilis 1803.

Et Infra:

Sign. J. B. Card. Legat.

Vincentius Ducci

*A secretis in ecclesiasticis.*

## VII.

Responsio S. O. ad dubium circa matrimonium initum absque dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

Vic. Apostolicus Mandchuriae proposuit dubium " In his difficillimis dissitisque regionibus saepius occurrunt christiani, qui sive persecutionis vitandae causa, sive propter pecuniae necessitatem, sive etiam propter aliam causam satis incauti ut sunt plerumque Sinenses, e locis christianorum ubi habitant ipsi, sive nati sunt, ad loca longinqua proficiscuntur ad 40 vel 50 et amplius dies itineris, simul cum uxore et filiis in quibus locis non sunt christiani, nec inveniri possunt, nec ullus unquam fuit rumor de religione christiana per circuitum. Grandiores facti filii et filiae nubunt cum paganis sine dispensatione possibili. Pro moribus gentis filiae praesertim et saepissime etiam filii, sunt in impossibilitate absoluta transmigrandi ad loca christianorum sicque debent omnino vel nubere cum paganis, vel manere innuptae aut coelibes. Quid iuris in hoc casu? Tenentur ne impedimento disparitatis cultus ? Quid iuris ubi fides eorum est in tuto, ut fit aliquando et ubi sunt in bona fide ut plurimum evenit? „ S. C. S. O. die 4 Iunii 1851, ad praefatum dubium respondit: In propositis circumstantiis non esse inquietandos facto verbo cum SSmo. SSmus approbavit.

## VIII.

Responsiones Sup. Univ. Inquis. ad aliud dubium quoad privilegium Paulinum.

Quaesitum fuit an. 1792 a Vic. Apost. Kansiensi in Sinis an quod in facultate sub. num. 11. Form. 1. dicitur de homine relate ad plures uxores, intelligatur etiam de mulieribus, quae habent plures maritos. Sac. Congr. pro rebus Sinensibus habita die 14 Ianuarii 1793 respondit *Affirmative* et haec responsio probata fuit a Sum. Pontifice in aud. die 17 Ian. Haec declaratio fuit iterum repetita ab Univ. Inquisit. die 12 Iunii 1850 in responsione data ad Vic. Apost. Cocincinae occidentalis qui ita proposuerat dubium: " Sed saepius evenit ut mulier quae habuerit plures successive maritos convertatur, quaeritur ergo utrum locus esse possit dispensationi quatenus illa retineat quem maluerit ex istis, modo fidelis fiat, si primus noluerit converti. Porro S. O. respondit „ locum esse dispensationi tam pro hominibus quam pro feminis.

## IX.

Decretum Sup. Univ. Inq. Fer. V. 12 Augusti 1859 quo datur facultas Episcopis et Vicariis Apostolicis dispensandi super interpellatione coniugis infidelis.

Quoties coniugem infidelem nec Christi fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris cum coniuge converso velle cohabitare certo constet, Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati et Vicarii Apostolici dispensare poterunt super interpellatione, dummodo urgeat necessitas, nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem.

## X.

Resp. Sup. Univ. Inquisitionis ad aliqua dubia circa interpretationem facultatum quae conceduntur Episcopis Foed. Stat. Americae Sept.

I. Primum dubium ad rem non facit.

II. In Form. I. fac. Sac. Congr. Fid. Prop. n. 6. facultas tribuitur dispensandi in quibusdam consanguinitatis *et* affinitatis gradibus. Dubitatur num particula *et* copulative an disiunctive intelligenda sit?

III. Eodem n. 6. datur facultas dispensandi super quibusdam gradibus consanguinitatis et affinitatis cum his qui ab haeresi convertentur ad fidem catholicam. Quaeritur num vi huius facultatis etiam detur potestas *a)* quoad matrimonia post unius conversionem invalide ob praedicta impedimenta contracta: *b)* quoad matrimonia mixta olim invalide contracta licet pars haeretica nunc sit conversa.

IV. Eodem n. 6. facultas datur dispensandi cum his qui ab infidelitate convertuntur. Infideles autem legibus ecclesiasticis non subiiciuntur. Hinc facultas frustranea esset casu, quo duo infideles in gradibus pro quibus hoc numero datur facultas contraxissent et uterque vel alteruter ad fidem converteretur. Quaeritur igitur *a)* num ex hoc numero detur facultas dispensandi cum infideli converso, qui ante conversionem cum parte acatholica baptizata in praefatis gradibus contraxit, et num requiratur, ut haec etiam pars acatholica conversa sit: *b)* num detur ex hoc eodem numero facultas cum infideli converso, qui ante conversionem cum parte catholica in praefatis gradibus contraxit.

V. An n. 9. Formulae I. de cognatione spirituali orta ex baptismo tantum intelligendus, an vero etiam de eadem cognatione orta ex confirmatione.

VI. An facultates Formularum quibus datur potestas dispensandi in impedimentis matrimonialibus, valeant etiam quando agitur de matrimonio nulliter contracto, utraque parte, dum contrahebatur nullitatis conscia. Dubitari de facultate haud posse creditur quoad n. 6. Form. I. aut quoad facultates extraordinarias D. E., nam in his facultatibus potestas datur legitimandi prolem, quae potestas manifeste supponit matrimonium nulliter initum utraque parte nullitatis conscia: proles enim suscepta ex matrimonio invalido, sed cum scientia nullitatis ex altera tantum parte inito illegitima non est. Dubium igitur versatur circa n. 7, 8, 9, Form. I. in quibus non conceditur facultas legitimandi prolem. Cum res controvertatur inter Doctores, quaeritur num tuta conscientia utramvis sententiam sequi liceat?

VII. An facultas sub n. 14 Form. 1. communicari potest ab Episcopo Sacerdotibus in sua diocesi laborantibus.

VIII. Dubium ad rem non facit.

IX. Non est ad rem.

X. Posito quod Episcopo anno 1883 ad triennium data fuerit potestas utendi facultatibus quibus gaudet dispensandi super impedimentis matrimonii quando haec impedimenta cumulantur; facultates decennales vel quinquennales, vi quarum in impedimentis matrimonii dispensare potest expirabunt anno 1884. Quaeritur num prorogatis ad aliud decennium vel quinquennium facultatibus, per biennium etiam uti valeat facultate anno 1883 sibi data? Sunt qui negent cum *iuxta litteram* potestas triennalis dispensandi in cumulatis impedimentis valeat tantum pro usu facultatum quibus gaudet i. e. pro usu earum quibus anno 1883 gaudebat, non pro usu earum quibus iterum anno 1884 gaudebit. Alii vero putant hanc interpretationem nimis litteralem esse, seu minus consentaneam menti S. Sedis quae facultatem dispensandi in cumulatis valere voluit ad triennium?

Porro Sup. Univ. Inq. Fer IV die 2 Iulii 1884 perpensis suprascriptis dubiis praehabitoque Rmrum Consultorum suffragio decreverunt.

Ad 2^m^ Verba formulae ita accipienda esse, ut facultas concessa intelligatur dispensandi tam ab impedimento consanguinitatis quam ab impedimento affinitatis seiunctim tamen; non vero quando utrumque impedimentum in uno eodemque casu concurrunt. Ad 3 et 4. Affirmative ad utrumque. Ad 5. Oriri tum ex baptismo tum ex confirmatione. Ad 6^m^ facultates de quibus agitur valere etiam quando utraque pars conscia est nullitatis matrimonii iam initi. Ad 7^m^ posse. Ad 10. Affirmative.

# XI.

## Disputatio Apostolicae Sedi exhibita a Patribus Soc. Iesu qua Romano Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium.

DE MATRIMONIIS INDORUM APUD INSULAS PHILIPPINAS.

Quamvis valde probabile sit ex plurimis coniecturis Philippinorum matrimonia non esse vera, cum potius intendere videantur temporariam et concubinariam cohabitationem, quam coniugalem: tamen id certum esse non potest propter tam barbarae gentis stupiditatem, secretorumque tenacitatem; ex quo fit ut eorum mores et ritus aegerrime possint explorari: praesertim in matrimoniis quae Episcopus Philippinorum, egregius sane theologus, et ordinis Praedicatorum, affirmat tam multis tricis et difficultatibus implicare, ut vix ab universis possint doctoribus evolvi et ad liquidum explicari. Idcirco, relicta quaestione: " An eorum matrimonia sint vera „ quoniam non potest indubitanter definiri, ob magnam facti obscuritatem; immo supposita veritate matrimoniorum, idem episcopus eiusque ministri omnes cupiunt per apostolicam dispensationem dissolvi matrimonium cum prima uxore, ut possit vir conversus ducere seu retinere quam malit: idque propter tam magnas difficultates redeundi ad primam, ut haec obligatio christianum nomen infamet apud eas gentes, sitque maximum conversionis obstaculum. Esse vero et matrimonia infidelium, quamvis consummata, per apostolicam dispensationem dissolubilia, probatur tum auctoritatibus tum rationibus gravissimis.

Ut autem fiat ab auctoritatibus initium, Caietanus primum in opusculis tom. 2, q. 25, quamvis neget matrimonium consummatum fidelium esse dispensabile, quia est perfectum sacramentum, tamen matrimonium ratum, et illud etiam quod est tantum officium naturae, seu naturalis contractus sine sacramento, quamvis sit carnali copula consummatum, sentit esse dissolubile et dispensabile. Caietanum vero allegant et sequuntur Ambrosius Catharinus l. 6° contra Caiet. c. 3, et Michael Medina l. 1° de sacro hom. continen. c. 33, et summa Armill. in v. *dispens.* § 8, et Martinus Ledes. in 4° par. 2, q. 69, art. 7.

Petrus item Paludanus in 4°, dist. 39, q. 1ª, art. 2°, et Sanctus Antoninus part. 3, tit. 1°, c. 6, in fin., qui illum allegat et sequitur, docent esse probabilem opinionem sentientium: in matrimonio infidelium, cum non sit sacramentum, nullum esse vinculum reale, et propterea ante baptismum utriusque coniugis, vel alterius, ex statuto Ecclesiae posse illud matrimonium solvi.

Summa item Angelica, verb. *matrimonium 4, sub princ.* matrimonium, inquit, inter fideles consummatum numquam est separabile: nec Papa posset in hoc dispensare: secus in matrimonio consummato inter infideles. Haec illa.

Navarr. l. 3° consilior. tit. de conversione infidelium, cons. 1°, ex professo disputat hanc quaestionem et docte probat dispensatione Pontificis posse dissolvi infidelium matrimonium consummatum, quod nunquam fuit sacramentum.

Nec S. Thomas ab hac doctrina alienus est, ut aliqui existimant, immo ex professo id disputat et rem pro nobis decidit in 4, dist. 33, q. 2ª, art. 2, quest. 1ª, ubi quaerit: " An licitum esse possit per dispensationem uxorem dimittère „ cum inseparabilitas sit de lege naturae. Et respondet notans in praeceptis legis naturae quaedam esse prima seu primaria, et in iis solus Deus dispensare potest: quaedam vero esse secundaria et in iis ratio dispensationis quandoque est in creaturis et inferioribus, non solum in Deo. Addit deinde inseparabilitatem matrimonii ut sacramenti non esse dispensabilem, nisi forte primo modo, hoc est, a solo Deo, quia ut sic est de prima intentione legis divinae, ad significandam coniunctionem Christi et Ecclesiae; sed inseparabilitatem matrimonii ut est in officium naturae affirmat non pertinere ad prima sed ad secunda praecepta legis naturae, in quibus ratio dispensationis potest esse non tantum in Deo sed in inferioribus et creaturis, hoc est in potestate quae sit inferior Deo; eam vero constat maxime convenire Vicario Dei. Eadem Dionysius Carthusianus ibid., et multo copiosius ac clarius Abulensis in mat. 19, q. 46.

Idem S. Doctor ibid. dist. 27, q. 1ª, art. 3, quaest. 1ª arg. 1°. Videtur, inquit, quod alter coniugum etiam post carnalem copulam, potest altero invito ad religionem transire, quia lex divina magis debet spiritualibus favere quam lex humana: sed lex humana hoc permittit: ergo multo fortius lex divina permittere debuit. Haec ille. Alludit autem ad legem Iustiniam, quae habetur in authen. de nupt. § *distrahuntur*, quam etiam recitat S. Gregorius 27 q. 2ª, can. *sunt qui*, et can. *Agathosa*. Huic autem argumento, quod sibi S. Thomas opposuerat, respondet his verbis: lex humana considerabat matrimonium solum in quantum est in officium naturae; sed lex divina secundum quod est sacramentum, ex quo habet omnimodam indivisibilitatem: et ideo non est simile. Haec ille. Quibus verbis indicat matrimonium consummatum, ut est in officium naturae, et non sacramentum, humana etiam lege posse dissolvi. Eodem prorsus modo respondet Ricchard. ibid., art. 2, q. 4 ad 2m et dist. 39, art. 1° q. 2ª.

Item Petrus Paludanus in 4, dist. 33, q. 2ª, art. 2. Sed iure civili, inquit, olim sine causa ad libitum divortia fiebant, utroque vel altero nolente, ut libera essent matrimonia: et licet iure novo puniatur qui sine causa iusta repudiat: tamen secundum illud ius solvitur matrimonium. C. de divort. l. ult. Haec ille. Idem licet non asserat, non improbabile tamen putat Albertus Magnus in 4,

dist. 33, art. 25 et dist. 40, art. 10, ubi postquam repudio Iudaeorum docuit solitum esse solvi matrimonii vinculum, idem et probabile putat de repudio gentilium, iuxta philosophorum doctrinam: significans humana etiam potestate rescindi posse vinculum matrimonii, ut contractus.

Summa Asten. l. 8, tit. 21, art. 1° q. 4, affirmat etiam ius civile posse illegitimare personas ne valide contrahant; et tit. XI, art. 2°, q. 8, sentit humana lege posse matrimonium consummatum dirimi, ut est in officium naturae: et tit. 7, art. 1°, q. 1ª in definitione matrimonii, cum dicitur, individuam vitae consuetudinem retinens, dicit, si individuitas consideretur secundum aptitudinem, non secundum actum, competere omni matrimonio, etiam infidelium; sed si consideretur secundum actum et statum perfectum, non competere nisi consummato matrimonio fidelis: nam inter infideles in casu separari potest. Haec ille.

Et forte hoc ipsum dicere voluit S. Aug. in l. de nupt. et concupisc. c. X: et quamvis in libro de fide et oper. c. 7, sonare videatur contrarium, exponi potest de his qui non publicae legis auctoritate, sed sua, faciunt divortia.

Abbas item in c. *ex publico* de convers. coniugat. docet: fidelium matrimonium ratum esse dissolubile et dispensabile, non autem consummatum: quia quamvis utrumque sit sacramentum, illud tamen significat Christi cum anima coniunctionem divisibilem; hoc autem Christi cum Ecclesia coniunctionem indivisibilem. Postea loquens de matrimonio, quod non est sacramentum, ponit haec verba: Nam matrimonium, quatenus est res et non sacramentum, posset dissolvi sicut ceteri contractus l. *si unus* § *pactum* ff. de pactis. Haec ille. Et paulo post: circa consummatum, inquit, matrimonium Papa non dispensat inter fideles. Haec ille. Aperte significans non excipi a Papae dispensatione nisi consummatum inter fideles: sed inter infideles non esse nisi contractum dissolubilem, sicut et ceteros.

Huc accedit quod Hostien. in eod. tit. § 7, sentit matrimonium, quod ex se non est nisi quidam contractus, non fieri ratum, nisi ab Ecclesiae constitutione; et proprie matrimonium ratum inter fideles esse dispensabile per Ecclesiam, quia potest removere ratificationem, quam ei dederat. Hostiensem sequuntur Io. Andreas, Benedictus, Antonius de Butrio, Abbas in d. c. *ex publico;* Archid. in c. *quapropter* 27, q. 2ª, quod et non improbabile putant S. Antoninus par. 3, tit. 1, c. 21, et Sylvester, verbo *divortium* q. 4, in fin. Quae doctrina si vera est, cum sit in Ecclesiae potestate matrimoniis dare et tollere ratificationem, consequens est, si infidelium matrimonia non ratificet, manere dissolubilia.

Tandem tantum abest ut nullum matrimonium consummatum sit per Ecclesiam dispensabile, ut non desint Doctores graves, qui non modo infidelium, sed etiam fidelium (quamvis id nimium et falsum prorsus sit), posse dispensari

dicant, ut Marianus Locin: cons, 28. Dec. in c. *quae in ecclesiarum* de const. Hieron. Grat. cons. 1°, vol. 2° et Sigismondus Lostred. cons. 50 et alii.

Cum igitur Papa dispensando non definiat rem de fide, sed probabilem Doctorum opinionem sequi possit, ut apparet in voti solemnis et matrimonii rati dispensatione: cumque tam multi gravesque Doctores affirment infidelium matrimonia, etiam consummata, esse dispensabilia, iustam habet Summus Pontifex causam credendi posse se dispensare.

Praeter eorum Doctorum auctoritatem sunt et rationes ac fundamenta firmissima. Nam ut ait S. Thomas, 1, 2, q. 97, art. 4 et 2. 2. q. 88, art. X, ad dispensandum duo requiruntur: iusta dispensandi causa et legitima dispensantis auctoritas. Utrumque adest in proposito. Nam ut a iusta causa fiat initium, dispensandi causam esse inter alias, docet ibid S. Thomas, ne maius bonum impediatur; non enim, ut ait S. Bernardus, quod pro charitate institutum est, debet contra charitatem militare. At constat maius esse bonum fidei et salutis aeternae, quam matrimonii ut contractus; illud enim supernaturale, hoc naturale est; quamobrem sicut Apostolus I. Corinth. 7 et Inn. III, c., *quanto*, et c. *gaudemus*, de divortiis, recedente infideli coniuge, concedunt fideli viro, ut soluto priori matrimonio, ad aliud transeat, ne si invitus ad perpetuam cogeretur continentiam, deterreretur a fide, ut ait S. Thomas 4, dist. 39, q. 1ª, art. 5: ita cum in casu Philippinorum difficultas redeundi ad primam uxorem eos a fide deterreat, eadem dispensandi ratio militat: tametsi haec difficultas, quia quibusdam gentibus peculiaris et propria est, particulari eget dispensatione, non generali lege. Contra vero quia difficultas perpetuae continentiae est universalis, ob eam lex universalis concedit aliud matrimonium viro fideli cum ab infideli uxore deseritur.

Confirmatur adhuc, quoniam Apostolus sumit regulam matrimonii ex fide, non fidei ex matrimonio. Nam si fidei expedit habitare cum infideli uxore, matrimonium illud conservandum esse monet; sin fidei utilius est non cohabitare, concedit discessum a priori matrimonio et transitum ad aliud: et hoc quia bonum fidei cum proponderet matrimonio ut contractui, illam huius solvendi conservandique normam et regulam esse oportet, non contra. Itaque S. Ambrosius hunc Apostoli locum pertractans: Maior, inquit, causa Dei est, quam matrimonii. Et ibidem Chrysostomus: Melius est, inquit, divortium facere nuptiarum, quam pietatis. Aug. etiam l. 1 de adult. coniug. c. 13. Non propter, inquit, vinculum cum talibus coniugale servandum, sed ut acquirantur in Christum, recedi ab infidelibus coniugibus Apostolus vetat.

Adde quod Moyses concessit libellum repudii Iudaeis ne dum appeterent pulchriores alias, seu nobiliores, seu divitiores, occiderent quas habebant, ut aiunt Hieron. et Beda in Matth. 19. Eaedem causae militant in Philippinis, et illa adhuc gravior, quod non est periculum uxoricidii sed infidelitatis, quae

peior est; cum praesertim hoc subsidio magis egeant Philippini, qui dum infideles contrahunt, carent sacerdotio, prophetis, miraculis, lege, et cognitione Dei, quibus Iudaei sustentabantur.

Ad haec Exod. 21, si herus dedisset servo suo uxorem, post 7 annos servus recedebat liber: uxor et filii non erant amplius illius sed heri: et quoniam constat uxorem servi non fuisse obligatam ad coelibatum, nec potuisse habere simul plures maritos: quod nunquam licuit ex Aug. l. de bono coniugali c. 17, oportet, soluto priore coniugio, ad aliud transire potuisse. Et in eod. cap. si dominus ancillam filio suo dedisset, uxoremque ei post aliquod tempus displiceret, debebat pater providere puellae alias nuptias ad vitandam offensionem filii. At hae causae dirimendi matrimonii consummati multo leviores erant quam bonum fidei apud Philippinos.

Accedit adhuc quod sicut dicitur l. 1. ff. de usucap. lex civilis iustam habuit causam inducendi praescriptionem et usucapionem ne rerum diu et fere semper incerta dominia essent, quotidianis exposita litibus; ita cum Philippini in quaerenda prima uxore magnis sumptibus, multis annis, obstinatis animis, saepenumero litigent, ad eas lites tollendas ob quas vix ullus certus esse potest de sua uxore, subinde emergente alia atque alia, quae se primam esse contendit, iustam habet Ecclesia causam rescindendi matrimonii naturalem contractum cum prima, et multo iustiorem quam lex praescriptionis, quanto magis indecora, noxia ac periculosa est incertitudo coniugis et prolis, quam possessionum. Et plane cum propter commune bonum possit et soleat Reipublicae princeps rescindere contractus, etiam invitis interdum partibus, ut probat Fel. in c. *novit.* de Iud. et omnes in c. *quae in Ecclesiarum.* de const.: cumque haec matrimonia non sint aliud, quam contractus, quos sicut et alios ius naturae dictat esse servandos, pax Ecclesiae quae quotidianis litibus perturbatur, iusta videtur causa cur ab Ecclesiae capite dissolvi debeant: maneantque viri cum praesente coniuge, quam cum honore et pace Reipublicae obtinent, cum melior sit conditio possidentis.

Id quod recte fieret, etiam si, an haec matrimonia Philippinorum sint vera, dubium esset aequale pro utraque parte. Nam in obscuris et dubiis tutior et benignior pars sequenda est: est autem benignior quae magis favet fidei, quam contractui; est tutior, ex qua minus malum sequitur; ac minus malum est contractum, quam fidem christianam periclitari. Quanto id nunc verius est, cum Philippinorum matrimonia non esse vera longe sit probabilius, quam contrarium. Hactenus de iusta dispensandi causa: nunc ad dispensantis auctoritatem.

An haec auctoritas Romano Pontifici relicta sit a Christo dubitari posset ex eo quod inseparabilitas matrimonii cum sit de iure naturae , non videtur dispensabilis nisi ab auctore naturae. Caeterum haec difficultas tollitur huiusmodi distinctione. Dispensatio legis dupliciter sumitur: primo modo proprie, ut est relaxatio iuris, et requirit auctoritatem legi superiorem; et hoc modo

minor non dispensat in lege maioris, sed Deus in divinis, Pontifex autem et princeps in humanis legibus dispensant, hoc est, per se et directe legis vinculum rescindunt, tanquam superiores; et in hoc sensu bene S. Thomas. in quodlibet. 4, art. 13, et in 1° senten. dist. 47, et in 3 senten. dist. 37, et 2, 2, q. 88, art. 10, ad 2, et q. 89, art. 9, ad 1, negat Pontificem dispensare posse in iis quae sunt iuris naturalis aut divini.

Secundo modo dispensatio sumitur large et improprie, non ut est iuris relaxatio, sed interpretatio: quia ad Vicarium Principis pertinet interpretari principis voluntatem: quam si credit in aliquo casu esse ut lex non servetur, quia praeiudicat maiori bono, utiliter gerit sui principis negotium, si non tam verba legis respicit, quam mentem, maioremque honorem principis. Quare Summus Pontifex dispensat in voto, quamvis sit de iure naturae, non relaxando ius divinum, sed hanc esse Dei mentem in quibusdam casibus interpretando, ut docent S. Bonaventura in 4, dist. 38, art. 2, q. 3, Petrus Paludanus in 4, dist. 28, q. 4, art. 4, S. Antoninus part. 2, tit. XI, cap. 2, § 9, Sylvester verbo *votum* 4, q. 3, dic. 3, Ambrosius Catherinus loco p. allegato, et alii. Eamdem interpretativae dispensationis auctoritatem habet Summus Pontifex in dissolvendis matrimoniis ut contractibus consummatis, quamvis de iure divino inseparabilibus, et probatur his fere fundamentis.

Fundamentum 1m. Innocentius III c. *inter corporalia.* de translatione Ep. Cum fortius sit, inquit, spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet quin omnipotens Deus spirituale coniugium quod est inter Episcopum et Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum; qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter virum et foeminam suo tantum iudicio reservavit, praecipiens, ut quos Deus coniunxit, homo non separet: non enim humana sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur. Et ideo tria haec quae praemisimus non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Haec ille. Et ibidem, cap. *quanto.* Veritas, inquit, in Evangelio protestatur: quos Deus coniunxit, homo non separet; et potestatem transferendi pontifices ita sibi retinuit Dominus et Magister, quod soli Beato Petro Vicario suo, et per ipsum successoribus suis, speciali privilegio tribuit et concessit; non enim homo sed Deus separat quos Romanus Pontifex (qui non puri hominis sed veri Dei vicem gerit in terris) Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana, sed divina potius auctoritate dissolvit. Haec ille. Ex quibus tria colliguntur. Primum: speciale coniugium Episcopi cum Ecclesia esse iuxta carnale coniugium: imo illud esse fortius isto. Loquitur autem de matrimonio non ut est sacramentum, sed ut est officium naturae: tum quia, cum in tribus capiti-

bus nempe c. *inter.*, c. *quanto*, c. *licet*, ea de re disputet, nunquam tamen vocat matrimonii sacramentum, sed carnale coniugium: tum quia, cum matrimonii, ut sacramenti, vinculum sit spirituale, non dixisset esse fortius vinculum Episcopi cum Ecclesia, quam viri cum uxore, propterea quod illud est spirituale, hoc autem carnale. Secundum: soli Deo, eiusque Vicario, qui non ut homo sed ut Deus separat, reservatam esse dissolutionem coniugii spiritualis, et multo magis carnalis, nam hoc est debilius illo: et ex hoc sumit Pontifex argumentum de illo. Tertium: A Pontifice dissolvi posse matrimonium ut est carnale coniugium etiam consummatum: et probatur primo: nam Matth. 19 cap., ex quo desumpsit Pontifex illa verba: quod Deus coniunxit homo non separet, loquitur Christus expresse de matrimonio etiam consummato. Quoniam immediate ante dixerat, et erunt duo in carne una: iam non sunt duo, sed una caro; et statim subdit: quod ergo Deus coniunxit homo non separet; loquitur igitur Christus de ita coniunctis, ut iam sint una caro: at una caro fiunt coniuges per carnalem copulam, ut expresse declarant Innocentius III cap. *debitum* de bigamis et S. Gregorius in c. *sunt qui dicunt* et c. *Agathosa* 27 q. 2. Probatur secundo quia idem Innoc. eodem tit. c. *licet*. Sicut, inquit, legitimi matrimonii vinculum, quod est inter virum et uxorem, homo dissolvere nequit, Domino dicente in Evangelio, quos Deus coniunxit homo non separet; sic et speciale foedus coniugii, quod est inter Episcopum et Ecclesiam, quod in electione nunciatur ratum, in confirmatione et consecratione intelligitur consummatum, sine illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri et Vicarius Iesu Christi. Haec ille: ex quibus patet loqui illum etiam de consummato matrimonio. Nam si potest Papa dissolvere spirituale coniugium, tam ratum, quam consummatum, quanto magis carnale, etiam consummatum, quod est illo debilius?

Fundamentum 2$^{m}$ — Per libellum repudii Iudaei solvebant prioris matrimonii vinculum, ut sentiunt Albertus Magnus in 4, dist. 33, art. 25. Palud. ibid. q. 1$^{a}$. Iohan maior. ibid. q. 2, S. Antonin. part. 3, tit. 14, cap. x, § 3, Abulen. in Matth. 19, q. 49 et 51. Ambrosius Catherinus et Michael Medina locis praeallegatis, et Alphonsus a Vera Cruce in speculo coniug., Alma in 4°, dist. 33, q. 3., Mart. Ledes. in 4° par. 2, q. 69, art. 7, quam opinionem probabilem quidem, licet contrariam communiorem, dicunt esse, S. Thomas in 4°, dist. 33 q. 2$^{a}$, art. 2; et ibid. S. Bonaventura art. 3, q. 1, Ricchardus art. 3, q. 1, Scotus et Durandus q. 3 etc. At libellum repudii, quo matrimonia etiam consummata solvebantur, non Deus instituit, sed Moyses, ut supremus antistes et interpres Dei. Itaque S. Hieron. in Matth. 19: Considera, inquit, quod non dixit propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses, ut, iuxta Apostolum, consilium sit hominis, non imperium Dei. Haec Hieronymus. Chrysostomus etiam homilia 21, ex variis Matthaei locis: Conferunt, inquit, se Phari-

saei ad patrocinium viri sanctissimi Moysis: cuius personam verebantur omnes, et timebant; ut doctrinam Christi, quam ratione vincere non poterant, per auctoritatem maioris personae destruerent; ut dum Moyses irreprehensibilis, reprehendi timetur, veritatis interpretatio taceatur: sicut solent homines facere malam causam habentes: confugiunt ad potentes viros, ut quod iustitia non potest, vincat persona. Haec Chrysostomus, satis indicans ex persona Moysis, non Dei prodiisse repudium; alioquin Deum, non personam Moysis, obiecissent Christo Pharisaei. Theophilactus etiam eumdem locum pertractans: Non contraria, inquit, Deo Moyses constituit: nec dixit Christus quod Deux coniunxit, non separet Moyses, ne turbaret illos, sed homo simpliciter: ostendens quantum intersit inter Deum coniungentem et hominem solventem. Haec Theophilactus interpretans hominem pro Moyse, qui matrimonia Iudaeorum solvebat repudio. Et Beda: Non Deus, inquit, sed Moyses permisit, videns desiderium secundarum nuptiarum, quia maluit indulgere discordiam, quam odia et homicidia perseverare: ut, iuxta Apostolum, consilium esset hominis, non imperium Dei. Haec Beda: et S. Thom. exponens eumdem locum Matth.: Dominus, inquit, probat non esse dimittendam uxorem ex auctoritate Dei, quae maior est: ideo contra Dei auctoritatem non est auctoritas Moysis: sed contra. Nonne Dominus dedit legem per Moysem? Videte, sicut dixit Apostolus de virginibus, praeceptum Domini non habeo, consilium autem do: unde aliquando dicebat quod a Domino acceperat, aliquando ex industria sibi inspirata: sic et Moyses. Istud autem permisit non quod audivisset a Domino, sed ab inspiratione divina, non tamen auctoritate firmata. Haec S. Thomas et glos. interlinealis: Moyses, inquit, ad duritiam cordis vestri permisit; Moyses non Deus. Haec illa. Quod si iuxta hos Doctores potuit Moyses Iudaeorum matrimonia etiam consummata solvere ut supremus Sinagogae Princeps et interpres Dei; quanto magis Romanus Pontifex cuius auctoritas tanto maior est, quanto evangelicum sacerdotium perfectius sacrificio?

Fundamentum 3$^{m}$ — Paulus Apostolus 1. Corinth. 7. monet, ut vir fidelis infidelem uxorem cohabitare volentem non deserat, nisi velit ipsa discedere: quod se dicere non ex Domini praecepto, sed ex sua, hoc est, apostolica potestate testatur his verbis: nam ceteris ego dico, non Dominus: significans quae deinceps dicturus est de coniugio fidelis cum infideli, tam quoad cohabitationem quam quoad discessum, suae esse auctoritatis, non divinae: et probatur. Primo quia S. Aug. l. 1 de sermone Domini in monte. c. 27: ceteris, inquit, ego dico, non Dominus. Hic videndum est, quibus ceteris; dicebat enim superius, ex Domini persona illis qui sunt in coniugio: nunc vero ex sua persona ceteris dicit; ergo fortasse iis qui non sunt in coniugio; sed non hoc sequitur: ita enim subiungit: si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam: ergo et nunc iis dicit qui sunt in con-

iugio. Quid sibi ergo vult quod ait ceteris? nisi quia superius eis loquebatur qui sic copulati erant, ut pariter in Christi fide essent: ceteris vero nunc dicit, id est eis qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint. Haec Aug. quem in Commentariis in eumdem Apostoli locum sequuntur Beda, Sedulius, Primatius, Haymo et Anselmus, indicantes, quae supra Apostolus dixerat coniugatis, dixisse fidelibus omnia ex iussu Domini: quae vero postea subiungit, dicere omnia ex sua persona fidelibus coniunctis cum infidelibus. Quare indistincte etiam dicit ibidem Theodoretus ex persona Apostoli: Hoc ego dico, pro eo quod est, non inveni hanc legem scriptam in sacris evangeliis, sed nunc eam fero. Et Ambrosius: Hoc dixit, inquit, ut ostendat, quid proprio ore Dominus iussit, et quid huius auctoritati concessit. Secundo: si prior pars de cohabitatione esset ab Apostolo et posterior de discessu esset a Domino, haec posterior pars non debuit poni post illa verba: ego dico, non Dominus: sed antea immediate, ubi tradens praecepta coniugibus dixerat, praecipio non ego sed Dominus. Immo si hoc mandatum a Domino accepisset ex speciali revelatione, aut ex traditione Christi, non dixisset: ego dico, non Dominus: sed potius Dominus dicit per me, ut promulgatorem. Id igitur dixit ex ordinaria potestate, qua gubernabat Ecclesiam. Tertio: haec doctrina Apostoli constat ex quadam disiunctiva propositione: nempe vel infidelis vult cohabitare, et retineatur; vel non vult cohabitare, et dimittatur. Cur huius disiunctivae una pars datur Apostolo, non altera, cum contrariorum sit, ut eadem scientia, ita et idem magister? Apostolus igitur ea matrimonia diremit non divina sed apostolica auctoritate. At multo superiorem habet potestatem Summus Pontifex.

Sed, esto, Domini sit illud, quod si infidelis discedit, discedat: non tamen constat a Domino fuisse concessum, ut fidelis non solum discedere possit a thoro, sed etiam a vinculo, transeundo ad alias nuptias: hoc enim in evangelio non solum Dominus non concessit, sed prohibuisse videtur, cum nonnisi ob solam fornicationem divortium concedat a solo thoro, non a vinculo, Matth. 19 et constat ex omnium interpretum sententia, ibi sermonem esse de fornicatione tantum carnali. Cum itaque in Evangelio non habeatur potestas rumpendi consummati matrimonii vinculum, sed potius prohibitio, consequens est hoc ius, quod habet fidelis vir transeundi ad aliud matrimonium, soluto priori, fuisse additum vel ab Apostolo, per apostolicam auctoritatem ordinariam, interpretante mentem Christi de fornicatione non solum carnali sed etiam spirituali, qualis est infidelitas, ut ait Aug. in sermone Domini in monte et l.° ad Pollentium; vel ab Ecclesia sic interpretante tam Christum, quam Paulum, qui expresse non dicit per hunc discessum solvi prius matrimonium. Quod ergo tunc fecit Ecclesia, vel Paulus apostolica auctoritate, cur debet Sedi Apostolicae denegari?

Fundamentum 4^m^ — Ratum matrimonium inter fideles cum sit non solum inseparabile de iure naturae, sed etiam sacramentum, esse magis indissolubile quam quodlibet infidelium matrimonium, etiam consummatum patet ex Innocentio III, cap. *quanto* de divortiis: nam etsi, inquit, matrimonium verum inter infideles existat, inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei quod semel est admissum nunquam amittitur: immo ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. Haec ille. Igitur ideo matrimonium infidelium est dissolubile, quia non est ratum: ut inde constet magis repugnare dissolubilitatem rato quam non rato, etiam cum copula. Ita omnes theologi, et praesertim Albertus Magnus in 4, dist. 31, art. 5; et S. Thomas in 4, dist. 33, q. 2, a. 1 et a. 2 ad 3^m^, et dist. 39, q. 1, a. 5, et dist. 27, q. 1, a. 3, quest.^la^ 2, ad 1^m^ et 3^m^ et alibi, docet inseparabilitatem matrimonii magis ei competere, ut sacramento, quam ut est in officium naturae. At matrimonium infidelium, quamvis consummatum, non excedit limites officii naturae; et propterea habet imperfectiorem inseparabilitatem, quam ratum inter fideles, quod est vere sacramentum. Ratioque quam manifesta est: quoniam in consummato matrimonio carnis unitas ob quam dixit Christus: quod Deus coniunxit, homo non separet; si est inseparabilior rato, id haberet vel ex supradicta Christi auctoritate vel ex sua natura. Non primum, quia Christus vetuit separari ab homine, non a Vicario Dei, ut definit Innocent. supra allegatus. Non secundum quia unitas carnis quae fit in copula matrimonio ut contractui, non addit novum vinculum, sed usum et exercitium vinculi initi per consummationem. At ratum inter fideles superaddit novum vinculum ex vi sacramenti, quod cum sit spirituale, ex Innoc. III in cap. *inter.* de translat. episcopi, fortius est carnali vinculo: at carnis unitas ex sua natura non excedit limites carnalis vinculi: fortius est igitur vinculum rati inter fideles, quam consummati inter infideles. Quare si potest in illo dispensare Pontifex, multo magis in isto: at posse in illo dispensare ostendit non solum communior opinio Doctorum, quos omnes Covar. in libro 4° par. 2, cap. 7, § 4 enumerat: sed etiam praxis multorum pontificum, qui semper in eo dispensarunt, ut referunt Caietanus, Armilla, Navarrus cap. 22, n. 21; refert etiam S. Antoninus par. 3, tit. 1, cap. 21 vidisse se bullas Martini V et Eugenii IV continentes huiusmodi dispensationem; et est textus quasi expressus Innoc.^ii^ III.^ii^ in cap. *suas.* de sponsa duorum, ubi reprehendens Mutinensem consuetudinem, qua matrimonia rata putabantur soluta, sequentibus matrimoniis consummatis, statuit id de cetero non esse faciendum; ex quibus verbis, ut ibidem Abbas Hostien. et ceteri annotatores, colligitur, Papam, quod ante hanc constitutionem factum fuerat, confirmasse, dispensando in matrimoniis ratis: quod etiam aliquos ante se Pontifices fecisse testatur Alexander III ibid. cap. *licet.*

Fundamentum 5m — Gregorius III in epistola 1a ad Bonifacium episcopum Moguntiae: Nam quod, inquit, posuisti quod si mulier infirmitate correpta non valuit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret: sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa quam infirmitas praepedit, et non detestabilis culpa excludit. Haec ille. Id vero Pontifex concessit, tum ut indulgeret genti barbarae, sic enim eam vocaverat ante, dixeratque benigne potius quam severe cum ea agendum esse: tum ne exacerbaret nuperrime reversam ad fidem ex infidelitate (ut ex epistolae principio habetur). Nec valet quod aliqui dicunt loqui Pontificem de muliere quae ex morbo impotens nupserat; nam si impotens fuisset, nullum fuisset matrimonium, cum tamen Pontifex appellet virum et iugalem: nec opus fuisset dispensatione: nec de hac re dubitasset Episcopus, nec obligasset virum ad alendam uxorem. Ob quam causam etiam nec valet quod alii dicunt: Illud matrimonium nunquam fuisse consummatum; nam illud verbum, valuerit, est potius futurum quam praeteritum: dicit enim: si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, non dixit, nunquam valuit. Imo illud, correpta, indicat supervenisse morbum et impedivisse quod ante fiebat. Quod si eam nunquam defloraverat, cur alere debuit? Ipse certe epistolae contextus indicat illos fuisse adhuc infideles matrimonio coniunctos, et post baptismum impeditam copulam ex morbo; et ne redirent ad infidelitatem, quae repudia concedebat, ad eos in fide retinendos, dispensare Pontificem in matrimonio consummato, ut ad aliud transire possent in favorem fidei. Itaque Martinus Ledesmus in 4 sent. p. 2, q. 19, a. 2 postquam retulit varios modos quibus Glossa Gregorium III exponit, subdit: sed quidquid sit de his interpretationibus, ego dico quod Papa illic loquebatur de matrimonio infidelium qui de novo convertebantur ad fidem, quod matrimonium secundum Paulum est dissolubile. Haec ille. Intelligit autem esse dissolubile non solum propter infidelitatem uxoris, quae tunc conversa supponebatur, sed etiam ob infirmitatem: hanc enim causam, non illam affert Gregorius supposita, ut diximus, illius gentis barbarie et novitate in fide. Observatum enim semper est in Ecclesia tam ad alliciendum infideles ad fidem, quam ad neophytos, ut teneros adhuc ac infirmos, in fide retinendum, multa illis indulgere. Nam et hac de causa Apostoli primis Christianis ex circumcisione conversis concesserant ad tempus iudaizare, ut cum honore synagoga sepeliretur, ex Aug. in epistola 19 ad Hieronym., quod ex apostolicae potestatis dispensatione descendisse dubium non est. Et plane cum dicat Apostolus indefinite accepisse se a Domino potestatem in aedificationem, satis pie creditur quidquid ad Ecclesiae pertinet aedificationem, id Christum suo Vicario demandasse, ut tantum possit facere in ligando et solvendo, quantum probabile est Christum facturum esse, si visibiliter adesset. At certe si prae-

sentem Christum interrogare possemus de matrimoniis Philippinorum mallet ne fidem et salutem aeternam conservare, an naturale vinculum contractus matrimonii, haud dubium responderet se praeferre primum, cum pro salute animarum mortuus sit in Cruce.

Fundamentum 6$^{m}$ — Non solum in iure divino Papa dispensare potest interpretando, ut patet ex supradictis, sed etiam divini iuris materiam subtrahendo, ut explicant S. Thomas 2, 2, q. 88, a. 10 ad 2$^{m}$, et q. 89, art. 9, ad 1$^{m}$ Ricard. in 4°, dist. 38, art. 9, q. 1, Dominicus Sotus de iust. et iure l. 7, q. 4, a. 1, ad 2$^{m}$. Dicunt enim cum Pontifex in voto seu iuramento dispensat, non concedere ut non servetur ius divinum de reddendo voto, dum manet votum; sed determinare in hoc casu non esse materiam congruam voti: et idcirco cessare votum quod erat materia iuris divini: sunt enim in voto duae obligationes, humana, hoc est, hominis promittentis, et divina, hoc est, Dei iubentis reddi quod promissum est. Non habet Pontifex potestatem in divinam obligationem, sed in humanam, quae cum sit ex causa defectibili, hoc est, ex nostra ratione, quae non potest omnia praevidere, accidit, ut quod votum iuratumque est, deinde appareat vel malum, vel inutile, vel maioris boni impeditivum: in quo casu concessa fuit Christi Vicario potestas, ut quando oportet, statuere posset, humanas voventis seu iurantis obligationes, in quibus latissimam habet Ecclesia potestatem, non habere congruam materiam: ac propterea cessare tum votum quod erat materia iuris divini: tum ipsum ius divinum quod erat de voto, dum est votum, non postquam desiit esse votum: quoniam Deus cum obligat reddi votum, obligat, ut ait Ricardus, quodammodo sub hoc modo, et conditionate, donec a superiore determinaretur esse hanc congruam materiam voti: secus si contrarium determinaretur. Ideo S. Thom. 1, 2, q. 94 a. 5, docet legem naturae, exceptis primis eius principiis, posse per humanam potestatem mutari per modum subtractionis, ut sc. aliquid desinat esse de lege naturae quod prius secundum eam fuerat. Eadem doctrina quadrat matrimoniis quae constant ex obligatione tum humana, qua coniuges mutuo sibi corpora tradunt in perpetuum: tum ex divina, obligante, ut haec traditio sit irrevocabilis et indissolubilis; sed quoniam humanae obligationes, cum sint defectibiles, possint aliquando cadere in materiam incongruam, ideo subiacere debent ecclesiae potestati, ut determinare possit in aliquo casu talia corpora non esse congruam materiam coniugalis traditionis, ut propterea cesset haec obligatio humana et consequenter ius divinum, quod erat de ea servanda dum congruam haberet materiam. Et posse id facere Pontificem in matrimonio constat ex iuramento et voto, quae, ut ait S. Thomas locis praeallegatis, non solum pertinent ad Dei praecepta, sed ad praecipua, scilicet primae tabulae quae Deum respiciunt. Quod si obligatio ab homine facta Deo, ut in votis, revocabilis est per ecclesiam, multo magis facta homini ab homine, ut in omni matrimonio quod praeter

humanum contractum non involvit divinam illam indivisibilitatem ex significatione coniugii inter Christum et Ecclesiam, quod significatur consummato fidelium matrimonio.

Confirmatur ex voto solemni continentiae in quo dispensare potest ecclesia iuxta communiorem Doctorum sententiam et praxim Pontificum; et tamen hoc votum non est contractus hominis cum homine, sed cum Deo: et quidem consummatur perfecta sui traditione et usu tradentis: quod vinculum cum spirituale sit, de iure divino fortius est quolibet carnali. c. *inter.* de translat. epi.

Huc accedit quod auctore S. Thoma 4 dist. 33, q. 2, a. 2, inseparabilitas matrimonii consummati non est de primis praeceptis legis naturae, quae in omni casu continent regulam rectitudinis: alioquin in ea nec Moyses, nec Apostolus Paulus dispensassent: sed de secundariis, quae et minus evidentia sunt in lumine naturali, ut propterea a multis infidelibus ignorentur, et ut plurimum quidem continent regulam rectitudinis, sed in multis casibus ita deficiunt ut melius tunc sit ea non servare, ut explicat idem S. Thomas 1, 2, q. 94, a 9: in quibus si nullam Christus reliquisset Ecclesiae potestatem quae ius naturae declarare posset, christianae reipublicae male provisum esset. Immo idem S. Doctor 1, 2, q. 95, a. 2, docet, determinationem legis naturae ab humana fieri potestate: sicut lex naturae habet quod ille qui peccat puniatur: sed quod de tali poena vel tali puniatur, est determinatio legis naturae per humanam: et sicut aliquando potest iudicare princeps aliquem reum ab omni poena absolvendum esse propter reipublicae bonum, quia in tali casu haec est congrua determinatio legis naturae; ita ex hoc inferunt S. Antoninus et Sylvester et Paludanus, locis praeallegatis, in aliquo casu determinare posse Ecclesiam aliquod votum non esse reddendum propter maius bonum: et in eo casu hanc esse congruam determinationem legis naturae de voto reddendo. Eodem modo lex naturae de matrimonii inseparabilitate, per Ecclesiae potestatem determinanda est, quando et ubi, et quomodo servanda sit in particularibus casibus, qui quo sunt particulariores, eo magis in iis communiora naturae principia deficiunt, minusque servari possunt, ut ait S. Thomas 1, 2, q. 94. a. 4, et propterea magis egent subsidio dispensantis Ecclesiae.

Tandem Summum Pontificem in iis etiam quae sunt iuris divini, praesertim si originem habent ex humanae voluntatis obligatione dispensare posse, in c. *quae in Ecclesiarum* de constit. probat Fel. ex multis testibus, glossis et Doctoribus.

Sed aliquae sunt oppositiones. 1ª. Innocentius III in c. *gaudemus* de divortiis respondet virum conversum debere redire ad primam uxorem quamvis ex suo ritu dimissam. Si habemus clarum Pontificis responsum, quid egemus disputatione ?

Respondetur ab Innoc. non fuisse petitam dispensationem: alioquin fuissent illi expositae difficultates, si quae fuissent, redeundi ad primam; et ille negasset posse seu velle se dispensare: non igitur dispensatio hic quaerebatur, sed ius commune, et de hoc respondet Innocentius. At nunc scitur ius commune, et ab eo dispensatio petitur ob novas difficultates Philippinis peculiares.

2ª oppositio. Papa non potest dispensare cum praeiudicio tertii. At si dispensaret in matrimonio consummato faceret iniuriam uxori: quae in suae virginitatis violationem non consensisset nisi sub spe perpetui matrimonii.

Respondetur: apud Indos id non habet locum: 1° quia paucissimae accedunt ad sponsos virgines: prostituuntur enim a parentibus adhuc parvulae. 2° quia in ipso matrimonii contractu expresse vel tacite iuxta ritum gentis contrahunt cum potestate dimittendi; scienti autem et volenti non fit iniuria. 3° quae dimittuntur retinent pecuniam a viris datam tanquam pretium concubitus, et honorate post nubunt aliis. 4° Adde quod quae uxores sunt iam separatae, frequenter nollent ad virum primum redire; et hoc divortium est Indis quotidianum, ut vix probro sit: et si qua de repudio queratur, oblato pretio quolibet acquiescit.

3ª Oppositio. Fit iniuria proli quae separatis parentibus derelicta videtur, vel non educabitur eo affectu naturali quo durante matrimonio educaretur.

Respondetur. Ex repudiata uxore raro habentur filii, sed potius ex praesente quae ob id carior est: et si qui sunt ex prima uxore iam alterum ex parentibus sequuti sunt. Nam et in casu Pauli Apostoli, quando uno coniuge ad fidem converso, altero non, separatur matrimonium, proles adulta sequitur quem vult ex duobus parentibus: minor autem sequitur conversum, ut ait S. Thomas 4, dist. 39, q. 1, art. 4 ad 4ᵐ et hoc non reputatur absurdum in favorem fidei. At eadem ratio militat in casu nostro, et multo magis congrua: cum ambo coniuges iam sint conversi, praesumuntur maiorem habituri caritatem in filios, quam mater non conversa, si eam sequi velint: et quamvis ex matrimonii separatione diminui videatur naturalis affectus: hic tamen defectus honestari potest magna de causa; alioquin mortua uxore non liceret viro alteram ducere ne tepescat amor in prioris matrimonii filios. Quod si hoc incommodum censetur bene compensari favorabili bono sequentis matrimonii: multo magis poterit compensari causa fidei, quae favorabilior est; cum praesertim ob repudium olim inter parentes factum iam filii separati vivant aut per se, aut certe ab altero parente destituti: prorsus ut haec dispensatio ne faciat filios magis esse derelictos, cum divortium non modo fiat, sed multo ante factum parentes et inter se et a filiis diviserit.

Tandem ne acta agere videamur in matrimoniis consummatis infidelium ad fidem conversorum iam dispensarunt duo Pontifices Pius V et Gregorius XIII.

Convenerunt in hanc sententiam, quam scriptis etiam quibusdam rationibus munierunt, hi patres Societatis Iesu:

P. Augustinus Iustinianus, *Rector Collegii Romani.*
P. Iac. Rucius, *Praefectus Studiorum.*
P. Io. Baptista Peruscus, *Rector Poenitentiariae ad S. Petri.*
P. Benedictus Iustinianus
P. Robertus Bellarminus
P. Ioannes Azor
P. Gaspar Gonsalez
P. Stephanus Tucius
} *Theologiae professores.*
P. Io. Bapta Costa, *Doctor U. I.*
P. Iacobus Cisneros, *Examinator Vicarii D. N.*
P. Alphonsus Sanchez, *Procurator Indorum.*

P. Iacobus Ledesma, *Doctor Lovaniensis*, ante xiv annos mortuus, qui ea de re luculentam reliquit disputationem. (1)

In eamdem quoque opinionem valde propendebant multi graves doctores, olim in Europa publici professores, qui ante multos annos ad disputandum hac de re coram Patre Melchiore Carnero Patriarcha Aethiopum et Iaponiae episcopo convenerant in insula Machan quae Sinensibus et Iaponiis interiacet. Fuit etiam Episcopus Mexicanus, olim Doctor U. I. qui publice affirmabat, ex consilio etiam Fratris Francisci Victoriae eximii theologi, nullum hac de re scrupulum Indiis esse iniiciendum, sed relinqui posse cum ea uxore cum qua bona fide ad baptismum venerant, quamvis prima non esset; et ipse id servabat in praxi quotidiana suae ecclesiae:

## XII.

### Formulae ad petendas dispensationes matrimoniales.

I. — pro publico impedimento.

*Beatissime Pater,*

Maria N. ex oppido N. (dioecesis N.) orta die... anno... cum Tullio N. ex oppido... dioecesis... matrimonium inire cupit. Quoniam vero dictae Mariae mater defuncta Tullii soror erat ac proinde impedimentum secundi gradus consanguinitatis attingentis primum inter eos exsistit, sine dispensatione matrimonium inire non possunt.

Sperant autem, hanc dispensationis gratiam se obtenturos a Sanctitate

(1) Cum P. Iacobus Ledesma ante 14 annos mortuus dicatur, sequitur disputationem praesentem ex Tabulario Sac. Cong. Fid. Prop. desumptam, anno 1589 scriptam esse: nam P. Iac. Ledesma Soc. Iesu e vivis excessit anno 1575.

Vestra quia Mariae pater quum fortunae excidium passus sit, filiam dotare plane nequit, quo factum est ut ipsa iam 25 annos nata hucusque coelebs manere coacta sit. Tullius autem etsi possessionem vix habet, tamen ex salario officii sui satis commode vivens eam sine dote in uxorem recipere paratus est. Quod eo magis optandum videtur esse quia ipse etiam Tullius viduus et pater quatuor liberorum est qui educatione adhuc egent, et sponsam suae conditionis difficulter inventurus est.

Supradicti igitur Oratores humiliter rogant per me Sanctitatem Vestram ut dispensationem concedere dignetur sub forma pauperum, quum non solum Maria pauper et miserabilis existat, sed etiam Tullii bona quae possidet tantummodo ad valorem libell.... ascendant, ex annuo vero salario libell.... pro viri et familiae conditione superfluum aliquid reponi vix possible sit. (1)

## II. — PRO IMPEDIMENTO OCCULTO.

*Eminentissime Princeps,*

Titus post sponsalia cum Titia, vesana libidine victus cum sponsae suae matre peccavit atque ideo prohibetur quominus promissum matrimonium inire valeat. Quod nisi revera ineat apud sponsam speciem iniustitiae committet, eo quod aliam iustam causam sponsalia solvendi non habeat, aut diffamationem incurret: imo timendum est ne rumores atque scandala apud alios etiam oriantur. Quare supplex rogat Titus Eminentiam Vestram ut dispensationem in contracta affinitate benigne concedere dignetur. Eminentiae Vestrae placeat dirigere litteras ad me infra scriptum confessarium. (Hic exprimendum est nomen et cognomen illius, ad quem rescribendum est; nomen item oppidi vel civitatis ad quam vel per quam rescribendum est, et haec quidem vulgari lingua).

*Humill. Servus*
N. N.

---

(1) Cum partes in forma pauperum dispensari velint, Parochus eorum paupertatis fidem facere debet apud Episcopum, eiusve Vicarium Generalem, qui eam ad Apostolicam Sedem his vel similibus verbis trasmittet.

*N.... Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi N. Vicarius Generalis, vel Officialis.*

*Fidem facimus et testamur, Ioannem N. et Luciam N. huius N. Dioecesis, adeo pauperes, et miserabiles existere, ut ex labore et industria sua tantum vivant, prout ex fide Parochi, aliorumque fide dignorum testimonio nobis constare fecerunt, in cuius rei testimonium praesentes litteras exarari fecimus, manu nostra subscriptas, nostroque sigillo munitas.*

### III. — PRO MATRIMONIO IAM CONTRACTO.

Titius et Titia in tertio gradu consanguinei, spreta quidem lege Ecclesiae neque impedimenti ignari, civiliter contrahere matrimonium atque consummare ausi sunt. Nihilominus pro veris coniugibus communiter habentur eo quod lex clandestinatis hic non viget neque consanguinitas ista, utpote ex crimine orta, ad aliorum notitiam pervenit.

Nunc autem facti poenitens Titia conscientiae stimulis agitata, remedium implorat. In summis enim angustiis versatur quia separari sine scandalo nequit nec vir lubens eam dimittet, imo si ipse recederet, per civilem potestatem, ut rediret, cogeretur. Atque etiam proles iam concepta, nisi matrimonium sanetur tum illegitimitatis notam, tum periculum pravae educationis subitura est. Quare Titia rogat E. T. ut ab impedimento illo consanguinitatis dispenset, atque, ut omissis aliis Ecclesiae legibus, domi privatim consensum liceat renovari.

### IV. — PRO PETENDA SANATIONE DISPENSATIONIS PRIUS OBTENTAE.

Publius et Anna a secundo gradu consanguinitatis dispensationem obtinuerunt et ceteroquin servatis legibus Ecclesiae matrimonium inierunt. Nunc autem detectum est eorum consanguinitatem attingere etiam primum gradum. Quum autem sine scandalo et prolis conceptae damno separatio fieri non possit, supplices implorant ab E. V. sanationem dispensationis prius obtentae, ut tuta conscientia in matrimonio possint persistere.

# INDEX.

## PROLEGOMENA

### De vi ac sensu legum ecclesiasticarum.


De regulis communibus ad recte iudicandum de vi legum ecclesiasticarum . . . . . *Pag.* 5
De consuetudine . . . . . „ 7
De abrogatione legis eiusque regulis generalibus . . „ 8
De dispensatione . . . . . „ 9
De epikeia . . . . . „ 9
De clausulis legibus apponi solitis . . . . . „ 11
De vero ecclesiasticarum legum sensu deprehendendo seu de recta earum applicatione. . . . . „ 14
De regulis aliquarum legum propriis . . . . . „ 18
De rescriptis . . . . . „ 20
De vi rescripti in actu primo eorumque clausulis . . „ 21
De rescripti vi in actu secundo et de eorum executoribus „ 30
De rescripti vi post executionem . . . . . „ 35
De privilegiis eorumque natura . . . . . „ 37
De privilegiorum adquisitioue. . . . . „ 38
De interpretatione privilegiorum . . . . . „ 40
De privilegiorum extinctione . . . . . „ 41


## DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS


Quis sit legitimus dispensationis auctor . . . . . „ 45
De generalibus iuris principiis in concedendis dispensationibus „ 49
Iuris principia quoad amplitudinem facultatis in indultis delegatae „ 52

Iuris principia de potestate delegata per mandatum ad dispensandum determinatas personas . . . . . *Pag.* 53
De materia dispensationis . . . . . „ 54
De impedimentis dirimentibus. . . . . „ 54
De impedimentis impedientibus Apostolicae Sedi reservatis „ 56
Quae sint iustae dispensationis causae . . . . . „ 63
De ratione petendi dispensationes matrimoniales . . „ 67
De iis quae exprimenda sunt in supplici libello ad obtinendas dispensationes . . . . . „ 71
De clausulis praecipuis Datariae Apostolicae . . . „ 75
De clausulis praecipuis Sacrae Poenitentiariae pro foro externo „ 83
De clausulis S. Poenitentiariae pro foro interno . . „ 85
De immutationibus recens inductis in clausulis dispensationum matrimonialium . . . . . „ 93
De clausulis quae apponuntur in dispensationibus a votis simplicibus . . . . . „ 94
De potestate Episcopi solvendi haec vota . . . . „ 98
De regulis ad discernenda vota non nubendi, virginitatis et castitatis. . . . . „ 98
De executione dispensationis . . . . . „ 99
Canones recens praescripti a Sup. Univ. Inquisitione ad dignoscendum cuinam executio dispensationis fuerit commissa „ 100
De executionis decreto in foro externo . . . . . „ 103
De cumulatione impedimentorum . . . . . „ 104
De executione dispensationis in foro interno. . . „ 105
De modis quibus rescripta dispensationum cessant. . „ 107
De novo impedimento detecto post dispensationem. . „ 110
De matrimonii revalidatione et sanatione in radice. . „ 113
De privilegio Paulino . . . . . „ 119
De dispensatione in matrimonio rato et non consummato. „ 134
De regulis servandis in agendis caussis matrimonialibus in specie „ 138

## APPENDIX QUORUMDAM MONUMENTORUM.

Constitutio Benedicti XIV " Dei Miseratione „ . . . „ 154
Instructio edita a S. Congr. Concilii pro confectione processus in causis matrimonialibus . . . . . „ 161
Instructio Supremae Congreg. S. O. sequenda in conficiendo processu super viri impotentia et non secuta matrimonii con-

summatione, accedente Summi Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV. " Dei miseratione " . . . . . *Pag.* 167
Norma tradita a Sup. Congr. S. O. ad probandum quasi domicilium . . . . . „ 169
Instructio Sup. Congr. S. O. ad probandum obitum alicuius coniugis . . . . . „ 171
Instructio Card. Caprara circa revalidationem matrimoniorum nulliter initorum . . . . . „ 175
Sup. Congr. S. O. solutio dubii circa matrimonium celebratum absque dispensatione ab impedimento disparitatis cultus quando dispensationis petitio possibilis non fuit . . „ 180
Responsiones Sup. Univ. Inquisit. ad dubia quoad privilegium paulinum . . . . . „ 180
Decretum Sup. Univ. Inq. quo datur facultas Episcopis et Vicariis Apostolicis dispensandi super interpellatione coniugis infidelis . . . . . „ 181
Responsiones eiusdem Sac. Congregationis ad dubia proposita circa facultates Formulae I . . . . . „ 181
Disputatio Apostolicae Sedi exhibita a Missionariis e Soc. Iesu, qua Romano Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonia consummata infidelium . . . . . „ 183
Formulae litterarum ad petendas dispensationes matrimoniales. „ 197

# INDEX RERUM NOTABILIUM

## A

Ablativus absolutus in Apost. Litteris importat conditionem, *pag.* 75; eaque necessario servanda est ut executor possit valide dispensare, *ibid.*

Abrogatio legis. Eius notio et modi, *pag.* 6. An censeatur odiosa, *pag.* 8. Abrogationis legis quaenam sint regulae, *ibid.*

Absolutio in dispensationum litteris duplex est, quarum prior impertitur ad effectum fruendi gratia apostolica, *pag.* 76. Eaque complectitur censuras omnes quavis causa latas, *ibid.* Non tamen suffragatur in nonnullis casibus, *ibid.* Operatur dumtaxat censurarum suspensionem quousque gratia sortiatur effectum, *ibid.* An valeat dispensatio impedimenti, omissa absolutione a censura qua quis innodatur, *pag.* 121. — Absolutio altera respicit speciale crimen et canonicas poenas occasione illius contractas, *pag.* 81; haec in litteris Datariae impertitur pro utroque foro, videlicet pro foro externo et pro foro interno non sacramentali, *ibid.*; quid importet quando agitur de incestuosis, *ibid.*; impertitur extra sacramentalem confessionem, *ibid.*; praemitti debet dispensationi, *ibid.*; huiusmodi absolutio an dari possit absentibus, *ibid.* — Absolutio in foro conscientiae, de qua mentio fit in dispensationum litteris S. Poenitentiarae, an suffragetur in foro iudiciali et dari possit si incestus sit reservatus, *pag.* 89. Quaenam forma adhibenda, *ibid.* Quid iuris, si absolutio sacramentalis dari nequeat, *ibid.*

Adulterium. Vide *Crimen.*

Aetas. Eius impedimentum indispensabile, *pag.* 54. Eius excessus in muliere innupta quando sit sufficiens causa ad dispensandum, *pag.* 63. Non aeque admittitur pro viduis, *ibid.*

Affinitatis impedimentum nunquam relaxatur in primo gradu lineae rectae ex copula coniugali *pag.* 55. Qua ratione solet dispensari in eodem gradu ex illicito concubitu, *ibid.* quae adhibeantur cautelae, *ibid.* In primo affinitatis gradu lineae obliquae an obtineatur dispensatio, *ibid.* Quae exprimenda sint in petitione dispensationis super singulis affinitatis gradibus, *pag.* 72.

Angustia loci an causa sit ad dispensandum et quando verificetur, *pag.* 63.

Appellatio a decreto executoris meri vel mixti, an possit admitti et quando, *pag.* 34. — Appellatio ad Episcopum vel ad Metropolitanum a Delegati decreto dispensationis, si forte litteras nullitatis vitio laborare decernat, non datur, *pag.* 79.

Auctoritas statuendi et relaxandi impedimenta connubialia quibus competat, *pag.* 46. — Auctoritas Pontificis quoad impedimenta. Vide *Pontifex.* — Auctoritas Episcopi quoad impedimenta. Vide *Episcopus.*

## B

Baptismus an invalidatur ex errore in ministro, *pag.* 121 seq.

Beneficiorum collatio odiosa censetur, *pag.* 17. Ad illa impetranda quae sint exprimenda, *pag.* 26.

Beneficium principis latissime est interpretandum. De quibus privilegiis id debeat intelligi, *pag.* 40.

Bona haereditatis quae conserventur in familia an sint sufficiens causa ad dispensandum, *pag.* 64.

Bona fides in contrahentibus quid importat, *pag.* 65; necessario requiritur ut Episcopi dispensare valeant in foro conscientiae, *pag.* 47.

## C

Cancellariae Regula 66 excipit plures criminum reos, quibus absolutio generalis minime suffragatur, *pag.* 76; eius rigor mitigatus, *ibid.*

Cancellarius. Vide *Notarius.*

Capitulum sede vacante quid possit quoad facultatem dispensandi. Vide *Vicarius Capitularis.*

Castitatis votum simplex an dirimat matrimonium, *pag.* 57. Quotuplici in eventu inducit impedimentum dirimens, *ibid.* — Quoad dispensationem ad nubendum. Vide *Vota.*

Catholicus an, quando et a quo dispensari possit ad contrahendum cum haeretico, vel infideli. Vide *Matrimonia Mixta*, *Haeresis* et *Cultus disparitas.*

Causa rationabilis requiritur ad dispensationes obtinendas, *pag.* 63. Quo maius est impedimentum, eo gravior causa requiritur, *ibid.* Dispensatio sine causa concessa an sit valida, *ibid.* Causae praecipuae ad dispensandum quaenam sint, *pag.* 63. Quaenam pro obtinenda dispensatione a matrimonio rato et non consummato, *pag.* 123. Dispensatio in falsa causa impetrata subreptitia evadit, *pag.* 50. Quid si una ex pluribus causis allegatis sit falsa, *ibid.* Ut valida sit dispensatio in forma gratiosa expedita, quando causa debeat esse vera, *pag.* 70; quando si in forma commissaria, *ibid.* An valida sit dispensatio, si post eius executionem et ante matrimonii celebrationem causa cesset, *ibid.* — Quoad causae cognitionem. Vide *Delegatus*, *Executor.*

Cessatio legis. Eius notio, *pag.* 8.

Clandestinitatis impedimentum an dispensetur, *pag.* 55. Quid agere debeant Parochi ut a via perditionis retrahant qui clandestine contraxerunt, *pag.* 102. Vide *Tridentini Decretum.*

Clausula quid sit, *pag.* 11. Clausulae an utiles et observandae, *ibid.* Quomodo interpretandae, *ibid.* Clausulae aliae conditiones sunt, aliae praecepta; an sint conditiones vel praecepta quomodo dignoscatur, *pag.* 75. Clausulae an totam legem vel partem comprehendant, quomodo dignoscatur, *pag.* 11. Clausula prohibitoria inducendae consuetudinis an deroget consuetudini futurae seu in posterum introducendae, *pag.* 12. Clausulae insolitae documentum suspectum reddunt, *pag.* 11. Clausulae in Apostolicis litteris dispensationum positae per executorem adamussim servandae sunt, *pag.* 50.

Clausulae praecipuae legibus adnexae, *pag.* 12.
I. " *De plenitudine potestatis* „ quid importet, *ibid.*
II. " *Non obstantibus* „ an deroget contrariis legibus, *ibid.*
III. " *Decernentes irritum et inane*, etc. „ quam vim habeat et an consuetudines futuras irritet, *ibid.*
IV. " *Sublata cuilibet aliter iudicandi facultate* „ quid operetur, *pag.* 13.
Clausulae rescriptis adnexae, *pag.* 28.
I. " *Motu proprio* „ quid significet, *pag.* 28. An sanet et quando obreptionis vitium, *pag.* 29.
II. " *Ex certa scientia.* „ Quaenam vis insit huic clausulae, *ibid.*
III. " *Et alia* (negotia) *et contra alias* (personas) „ de quibus intelligenda, *ibid.*
IV. " *Quaedam aliae* (personae) „ quot comprehendat, *ibid.*
V. " *Conscientiam tuam oneramus* „ quid significet, *ibid.* Quomodo debeat se gerere delegatus, *ibid.* An a sententia eius detur appellatio, *pag.* 30. An possit alios subdelegare, *ibid.*
Clausulae rescriptis adnexae quae reddunt executorem mixtum, *pag.* 32. Clausula " *in forma dignum* „ quid significet, *ibid. in nota*; an reddat executorem mixtum, *ibid.*
I. " *Constito* etc. „ an reddat executorem mixtum, *ibid.* An is iudicialiter agere teneatur, *ibid.*
II. " *Vocatis vocandis* „ quid importet, *pag.* 32.
III. " *Si in evidentem* „ quibus rescriptis apponatur, *ibid.*; an reddat executorem mixtum, *ibid.*; an is iudicialiter agere debeat, *ibid.*
IV. " *Amoto* „ quomodonam reddat executorem mixtum, *ibid.*
Clausulae privilegiis adnexae, *pag.* 39.
I. " *Quatenus sunt in usu* „ quid in privilegiis indicet, *ibid.*
II. " *Dummodo sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini non adversentur* „ quomodo sit intelligenda, *pag.* 40; quae privilegia excludat, *ibid.*
III. " *Dummodo non sint revocata,* „ *pag.* 40.
Clausulae praecipuae quae inseri solent litteris dispensationum Datariae Apostolicae, *pag.* 75.
I. " *Nos igitur..... eosdem N. N. absolventes* „ quid operetur, *pag.* 75-76. Vide *Absolutio.*
II. " *Discretioni tuae... mandamus.* „ Per hanc clausulam exprimitur forma commissaria litterarum, *pag.* 76. Iurisdictio delegato confertur, *ibid.* Haec commissio non impedit quominus delegatus alteri committat informationes capere, *ibid.* Necesse non est ut subdelegatus sit in ecclesiastica dignitate constitutus, *pag.* 78.
III. " *Deposita per te omni spe cuiuscumque muneris.* „ An praeceptum importet vel consilium, *pag.* 77. An consuetudinis praetextu possit delegatus aliquid accipere, *ibid.* Quid iuris si post datam dispensationem aliquid accipiat, *ibid.* Quid pro suo munere accipere possit Cancellarius vel Notarius, *ibid.*
IV. " *De praemissis te diligenter informes..., et si preces veritate niti repereris.* „ Quid haec clausula importet, *pag.* 78. An et quando forma iudiciali procedendum sit, *ibid.* Si oratores graventur a decreto executoris, ad quem appellare debeant, *pag.* 79. Quanam diligentia capiendae sint informationes, *pag.* 78.

V. " *Dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit.* „ Haec clausula an semper inseratur, *pag.* 79. An conditionem importet, *ibid.* An Episcopus possit absolvere ab excommunicatione inflicta raptori, *ibid.*

VI. " *Quod impedimento huiusmodi ac Constitutionibus et Ord. Apost. nequaquam obstantibus Matrimonium inter se... servata forma Concilii Tridentini... contrahere.... valeant.* „ Quaenam vis insit huic clausulae, *pag.* 79. An derogatio expressa extendatur ad gradus seu impedimenta non expressa in precibus, *ibid.* Cur subiicitur " servata forma Tridentini, *ibid.* „ Omissio denunciationum non invalidat concessionem, et Episcopo salva manet facultas ab iis dispensandi, *ibid.*

VII. " *Auctoritate nostra dispenses, prolem susceptam si qua sit et suscipiendam exinde legitimam decernendo.* „ Quaenam facultas detur per hanc clausulam executori, *pag.* 80. Quid ipse agere debeat, *ibid.*

VIII. " *Imposita eis prius propter incestum huiusmodi arbitrio tuo poenitentia salutari* „. An et quando haec clausula conditionem importet, *pag.* 81.

IX. " *Peractis ab eis duabus sacramentalibus confessionibus,* „ *ibid.*

X. " *Si veniam a te petierint,* „ *ibid.*

XI. " *Et recepto ab eis iuramento quod sub spe facilius habendae dispensationis huiusmodi incestum hunc non commiserint.* „ Haec clausula an conditionem importet, *pag.* 83. Delegatus an alteri committere possit ut iuramentum istud recipiat, *ibid.* An detecto quod alteruter vel uterque orator hanc spem habuerit, executor dispensare possit, *ibid.* Qui non *sub spe* sed solum cum spe obtinendae dispensationis incestum committunt, an gratia fruantur, *ibid.*

XII. " *Ab incestus reatu absolvas.* „ Quid haec absolutio importet, *pag.* 81. An complectatur forum sacramentale, *pag.* 82. Utrum absolutio dari possit absentibus, *ibid.*

XIII. " *Et quatenus contra ipsos causa super praemissis in iudicium quoquo modo deducta fuerit, parito iudicato.* „ Quid haec clausula importet, *ibid.*

Clausulae dispensationum S. Poenitentiariae in forma pauperum pro foro externo, *pag.* 84.

I. " *Erogata ab eis aliqua eleemosyna,* etc. „ *ibid.*

II. " *Praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis,* etc. „ *ibid.*

III. " *Praevia eorum separatione per tempus tibi benevisum.* „ Clausula haec subrogata alteri " interdicto quocumque tractu, „ *ibid.*

IV. " *Exhibita fide sacramentalis confessionis,* „ *ibid.*

V. " *Sublata vel remota occasione peccandi,* „ *pag.* 85.

VI. " *Dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum,* „ *ibid.*

VII. " *Dummodo ad Apostolicam Datariam recursus factus non fuerit,* „ *ibid.*

Clausulae Poenitentiariae pro foro interno. Earum inscriptio *Discreto viro Confessori* quomodo intelligenda, *ibid.*

I. " *Si ita esse per diligentem oratoris examinationem ac post monita et consilia... inveneris.* „ Vel: " *Si ita est.* „ Vel: " *si preces veritate nitantur.* „ Quaenam vis insit his clausulis, *pag.* 86; in quo differant, *ibid.*

II. " *Audita prius eius* „ vel eorum " *sacramentali confessione..., in vel pro foro conscientiae.* „ Vel: " *In sacramentali confessione tantum,* „ *pag.* 87.

III. " *Sublata* „ vel: " *remota occasione peccandi,* etc. „ Vel: " *postquam omnem recidivae conversationis,* etc. „ *pag.* 88.

IV. " *Ab incestu et excessibus huiusmodi vel a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis*, etc. „ *ibid.*

V. " *Iniuncta gravi poenitentia salutari*, „ *pag.* 89.

VI. " *Et sacramentali confessione peccatorum suorum singulis scilicet mensibus* etc., *ibid.*

VII. " *Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam*, „ *ibid.*

VIII. " *Dummodo impedimentum occultum* „ vel " *omnino occultum* etc., „ *pag.* 90.

IX. " *Dummodo separatio inter latorem et dictam mulierem fieri non possit* etc., „ *pag.* 91.

X. " *Ita quod huiusmodi absolutio et dispensatio latori in foro iudiciario nullatenus suffragetur*, „ *pag.* 92.

XI. " *Nullis super his testibus adhibitis aut litteris datis* etc. „ *ibid.*

XII. " *Sed praesentibus laniatis*, „ *ibid.*

Cognatio spiritualis. Quid exprimendum ut dispensetur impedimentum hoc, *pag.* 73.

Concubinatus cessatio an sit causa ad dispensandum, *pag.* 66.

Confessarius a poenitente electus antequam litteras aperiat quid expendere debeat, *pag.* 96; quomodo explorare an preces veritate nitantur, *ibid.* Nonnisi actu sacramentalis Confessionis postquam absolverit poenitentem dispensare potest, *ibid.* Quomodo se gerere debeat, si impedimentum unam tantum partem afficiat, *ibid.*

Confirmatio privilegiorum quid sit et quotuplex, *pag.* 39. Confirmatio privilegii communis an illud relinquat in suo statu, *ibid.* Confirmatio privilegii specialis quando arguatur, *ibid.* confirmatio specialis privilegii quid operetur, *ibid.* In dubio an confirmatio sit specialis vel communis, quomodo iudicandum, *ibid.*

Consanguinitatis impedimentum in primo gradu lineae rectae indispensabile, *pag.* 54. Nunquam Pontifices dispensarunt in primo lineae transversae gradu, *ibid.* An Missionarii Apostolici id possint cum infidelibus, *ibid.*

Consensus renovatio quando et quomodo fieri debeat, *pag.* 103. Quid in casu conversionis alterutrius coniugis ab infidelitate, *pag.* 115-116.

Consuetudo. Eius notio et divisio, *pag.* 6. Consuetudo secundum ius praeter ius, et contra ius, quid, *pag.* 7. Consuetudo debet esse rationalis, et quando talis sit, *pag.* 6. Consuetudo potest humanum ius adiuvare et extendere, corrigere et abrogare, *ibid.* Consuetudini inducendae an requiratur scientia et consensus Principis, *pag.* 7. An sufficiat consensus iuridicus, *ibid.* Quando ex eius silentio argui possit eius approbatio, *ibid.* Consuetudo induci debet per actus voluntarios, *ibid.* Consuetudo quando censeri debeat legis instar introducta, *ibid.* Consuetudo a quo ratihabenda. *pag.* 9. Consuetudo contra legem quantum temporis requirat, *pag.* 7. Consuetudo universalis an abrogetur per particularem, *pag.* 8; an per novam legem, *ibid.* Consuetudo immemorialis an privilegio aequivaleat, *ibid*; quaenam sint exceptiones, *ibid.* Consuetuto quomodo cesset, *ibid.*

Contrahentes cum scientia impedimenti ex Tridentino spe dispensationis carent, *pag.* 65. Si post obtentam dispensationem alteruter declaret nolle illa uti, an adhuc ei prodesse possit, *pag.* 99; quaenam exceptio, *ibid.* Quando censeatur renuntiatum fuisse primae dispensationi, *ibid.* An extincta maneat dispensatio si postquam impetrata fuerit alteruter, mutato proposito, contrahat cum altera persona nullo impedimento detenta, *ibid.*

Conversatio suspecta orta ex nimia familiaritate, an causa sit rationabilis ad dispensationem consequendam, *pag.* 65.

Copula antematrimonialis an exponenda in precibus, *pag.* 73. Copula iterum perpetrata tempore separationis, quae vi Apostolici mandati iniungi debuit, an irritam reddat dispensationem, *pag.* 81. Copulae incestuosae inquisitio quomodo facienda, *pag.* 74. Copula incestuosa non amplius exprimenda *ibid.* Quid olim si reticita fuerat, *ibid.* Quid, si iterata fuerat, *ibid.*

Correctio legis vitanda, *pag.* 8. An queat extendi ulterius quam verba exprimunt, *ibid.*

Criminis impedimentum an dispensari possit et quando soleat dispensari, *pag.* 55. Quid in supplicatione exprimendum, *pag.* 23.

Cultus disparitas. An dispensetur hoc impedimentum et quando, *pag.* 56. An possit dari dispensatio anticipatim absque nominatione personae, *pag.* 120 seq.

Cumulari usus plurium facultatum an possit, 53. Facultas cumulandi quousque extenditur, 153.

## D

Dataria Apostolica in quibus impedimentis dispenset, *pag.* 45-67. Quotuplici forma dispensationes expediat, *pag.* 69.

Declaratoria. Quando quis teneatur literas declaratorias ab Apostolica Dataria implorare, *pag.* 72.

Decretum dispensationis pro foro externo ut validum sit, quomodo conficiendum, *pag.* 95. Eius forma, *ibid.* An et quando delegatus illud possit retractare, *pag.* 99. Decretum irritans quam vim habeat, *pag.* 12.

Defectus legalis probationis. Summo Pontifici reservata auctoritas est in eo dispensandi, *pag.* 62. Quid in praxi observandum, *ibid.*

Delegatio ad exequendas litteras dispensationis in foro externo quibus fiat, *pag.* 93. Quando dicenda sit facta industriae personae, *pag.* 98; quando vero dignitati vel officio, *ibid.* Cessante delegato ab eius dignitate vel officio ante executionem ipsius, a quo expediri possint, *pag.* 94. Quid si Episcopus nullum Vicarium habeat vel Officialem, et commissio huic fuerit facta, *ibid.* Quid. si duo sint Vicarii Generales, *ibid.* Quis nomine Ordinarii veniat, *ibid.* Quis nomine Episcopi, *ibid.*

Delegatus litteras dispensationis exequi nequit antequam in originali ei fuerint exhibitae, *pag.* 95. Si litterae ante executionem pereant, quid agere debeat, *ibid.* Si servata mandati forma errore ductus rescripserit non esse dispensandum, an possit in eadem causa se ingerere, *pag.* 100.

Diffamata mulier ne innupta maneat ob copulam praehabitam vel copulae suspicionem, saepe movetur Pontifex ad dispensandum, *pag.* 65.

Dioecesis nomen an exprimi debeat in supplicibus litteris pro dispensatione obtinenda. *pag.* 71. An utraque Dioecesis, si oratores diversarum sint, *ibid.* An error in nomine dioecesis vitiet dispensationem, *ibid.*

Disparitas conditionis iuncta cum odio implacabili sufficiens causa est dispensandi in matrimonio rato et non consummato, *pag.* 123.

Dispensatio legis quid, *pag.* 9; quaenam normae ad ipsam interpretandam, *ibid.* Dispensare in lege quis possit, *pag.* 9. Dispensandi facultas an favorabilis et late interpretanda, *pag.* 9. Dispensationis actus an favorabilis censen-

dus, *pag.* 9. Dispensationis vis quomodo cognoscatur, *ibid.* Dispensandi auctoritas in impedimentis matrimonii quibus competat, *pag.* 45. Ex certis et rationabilibus causis quando dispensetur, *pag.* 67. Dispensatio in impedimentis matrimonialibus ratione formae a Dataria expeditur in forma ordinaria, vel in forma nobilium, aut in forma pauperum, *pag.* 69. — Dispensatio a matrimonio rato et non consummato. Vide *Processus in causa.* — Dispensationis in radice notio, *pag.* 104. Summo Pontifici exclusive competit, *ibid.* Extenditur etiam ad casum in quo, si adsit proles, alteruter vel uterque putatus coniux defunctus sit, *pag.* 106. Effectus huiusmodi dispensationis recensentur, *ibid.* Quae ad eius validitatem requirantur, *pag.* 105. Gravissimae requiruntur causae et quae, *ibid.* An et quomodo reiterari consensus debeat, *pag.* 106.

Domicilium verum quomodo adquiratur, *pag.* 19. Quomodo quasi domicilium, *ibid.*

Dotis defectus diversimode proponi solet pro dispensationis causa, *pag.* 64.

## E

Epikeia. Eius notio, *pag.* 9. An locum habeat in lege irritante, *ibid.*

Episcopus an dispensare possit in impedimentis dirimentibus matrimonii, *pag.* 46; an in impedientibus, *ibid.*; quae excipiantur, *ibid.* Episcopus an et quando possit dispensare in Constitutionibus Apostolicis vel Conciliorum generalium decretis, *pag.* 9. Episcopus ex praesumpto R. Pontificis consensu, urgente gravissima necessitate, verificatisque sex conditionibus, potest dispensare ab occulto impedimento dirimente, *pag.* 46-47. Ad quae impedimenta haec auctoritas extendatur, *ibid.* Si postea impedimentum detegatur, quid iuris, *ibid.* An Episcopus Vicario Generali delegare possit hanc facultatem et quomodo, *pag.* 48. An locus sit ordinariae potestati, quando habetur delegata, *ibid.* Quae principia habere Episcopus prae oculis debeat, ut rite hac potestate utatur, *pag.* 49. Episcopus an cum solis dioecesanis possit dispensare, *pag.* 51. An extra suam dioecesim, *ibid.* An si concurrant diversa impedimenta, *ibid.*

Excommunicati excommunicatione maiori, licet occulta, an inhabiles sint ad rescripta consequenda, *pag.* 24.

Executio litterarum dispensationum matrimonialum cui committatur, *pag.* 93. Si delegatio fuerit facta *Ordinario*, a quibus litterae executioni mandari possint, *pag.* 94. An a Capitulo, sede vacante, *ibid.* Si delegatio fiat Vicario Generali vel Officiali, qui veniant sub hoc nomine, *ibid.* Quid, si plures sint Vicarii Generales, *ibid.* An Episcopus possit se ingerere in casu dispensationis commissae Vicario Generali, si is illum non habeat, *ibid.* Quinam exequi valeant litteras dispensationis pro foro conscientiae a Maiori Poenitentiario expeditas, *pag.* 85. Executionis decretum quomodo redigendum, *pag.* 96.

Executor dispensationis an possit illas exequi extra dioecesim, *pag.* 95. Quomodo eas exequi debeat, *ibid.* Executores litterarum Apostolicarum an ipso iure sint Episcopi, *pag.* 31. Executores mercedem aut munera exigere vel recipere vetitum, *pag.* 33; exceptio, *ibid.* Executorum potestas quot modis expiret, *pag.* 34; an morte delegantis *ibid.*; an morte ipsius executoris, *ibid.* Executorum species quotuplex, *ibid.* Executor merus qui sit et quinam

mixtus, *pag.* 31. Executor merus quam auctoritatem habeat, *ibid.* Executores meri an possint subdelegare, *pag.* 33. Executor mixtus qua polleat auctoritate *ibid.* Executor quot modis fiat mixtus, *pag.* 31; quaenam clausulae illum talem reddant, *pag.* 32.

Extorsionem suspicari in Constitutionibus Apostolicis nefas est, *pag.* 22.

F

Falsi expressio. Vide *Obreptio vel subreptio.*

Familiae illustris conservatio an sit sufficiens causa ad dispensandum in voto, *pag.* 59.

Fictione iuris qui censeantur esse in territorio, *pag.* 19.

Forma dispensationum connubialium. Vide *Dispensatio.*

Formulae decreti dispensationis, *pag.* 96.

Fraus et dolus patrocinari nemini debet, *pag.* 18.

H

Haeresis. Auctoritas dispensandi ad ineunda matrimonia mixta exclusive competit Romano Pontifici, *pag.* 60. Quaenam sint causae legitimae ad hanc dispensationem obtinendam, *ibid.* Quaenam conditiones, *ibid.* Quid in praxi servandum in celebratione horum matrimoniorum, *pag.* 61.

Haeretici inhabiles ad rescripta impetranda, *pag.* 24.

Honestatis publicae impedimentum. Quid exprimendum pro obtinenda super eo dispensatione, *pag.* 73.

I

Ianseniani damnati a Galliae Episcopis et a RR. Pontificibus, *pag.* 22.

Ignorantia iuris vel facti quando excuset, *pag.* 10. Ignorantia legis an ad epikeiam revocetur, *ibid.* Ignorantia legis an excuset ad lucrum adquirendum, *ibid.*; an ad poenas effugiendas, *ibid.*; an excuset quoad poenas medicinales, *ibid.*; an quoad poenas vindicativas, *ibid.* Si ex ignorantia aut simplicitate in supplici libello oratores expresserint falsum vel reticuerint verum, an valeat dispensatio, *pag.* 50. An, si falsitas vel reticentia sit causa praecipua inductiva dispensationis, *ibid.*

Impedimenta matrimonii, alia impedientia, alia dirimentia, *pag.* 54. Ex dirimentibus aliqua ne a Romano quidem Pontifice relaxari possunt, alia nunquam relaxantur, alia non solent, alia passim, relaxantur, *pag.* 54-56. Ex impedientibus quae reservata sint Romano Pontifici, *pag.* 56. Impedimenta occulta quaenam censeantur, *pag.* 90.

Impotentia superveniens an habeatur tamquam causa sufficiens dispensandi in matrimonio rato et non consummato, *pag.* 123.

Incestus. Vide *Copula incestuosa.*

Indultum ad dispensandum in quibusdam matrimonii impedimentis Apostolica Sedes concedit Episcopis, *pag.* 48. An Episcopus indultarius possit easdem facultates subdelegare, *pag.* 51. Initium temporis indulti an computandum

sit a die datae, *pag.* 48. An mortuo Episcopo, delegatus ab ipso, uti eo possit, licet tempus concessionis expiraverit, *ibid.* Vide *Interpretatio.*

Infamia mulieris an sit causa ad dispensandum et quando, *pag.* 65.

Inimicitiae extinguendae causa an impetrari possit dispensatio, *pag.* 65.

Interdictum Pontificium quando dirimat et quando impediat matrimonium, *pag.* 61. In utroque casu Pontifici reservata est auctoritas dispensandi, *ibid.* In quo differat ab interdicto Episcopi, *pag.* 62.

Interpellatio ad coniugem in infidelitate manentem an et quomodo fieri debeat a coniuge converso, ut valide utatur privilegio divino, *pag.* 109. Quis dispensare possit ab ea facienda, *pag.* 111. Quaenam sint causae ad hanc dispensationem obtinendam, *ibid.*

Interpretatio generatim quid, *pag.* 14; quotuplex, *ibid.* Interpretationis legis quaenam sint regulae generales, *ibid.* Quomodo applicandae, *pag.* 17. Interpretatio authentica quae, *pag.* 14; quae usualis, *ibid.*; quae doctrinalis, *ibid.* Interpretationis extensivae quaenam sint regulae, *pag.* 15. Interpretatio legis extensiva an publicari debeat ut obliget, *pag.* 14. Interpretationis restrictivae quaenam sint normae, *pag.* 17. Interpretatio legis quomodo in contractibus sit facienda, *pag.* 18. Interpretatio legis quomodo facienda in obscuris, *ibid.*; item in poenis, *ibid.* item in testamentis, *ibid.*; item in beneficiis, *ibid.* — Interpretatio indulti ad dispensandum in impedimentis matrimonii quomodo facienda, *pag.* 49. Auctoritas delegata per indultum quibus in casibus late interpretanda sit, *pag.* 52. Si concessa fuit ad revalidanda matrimonia iam inita, an extendi queat ad contrahenda, *pag.* 53. An quoties datur ad relaxandum vinculum publicae honestatis ex sponsalibus, extendatur ad honestatem ex matrimonio ortam, *ibid.* An indultum extendatur ad casus, in quibus non adsit causa, vel adsit praeiudicium tertii, vel ex quibus scandalum oriatur, *ibid.* An ad casus mixtos, *ibid.* Si data facultas sit pro pauperibus, an extendatur ad illos qui pauperes non sunt, *ibid.* Interpretatio mandati ad dispensandum cum determinatis personis an fieri debeat stricte, *ibid.* Enumerantur casus, *pag.* 54.

Iuramentum suppletorium quibus dari possit, *pag.* 62.

## L

Legislatoris mens quomodo detegatur, *pag.* 15.

Legitimandi auctoritas in dispensationum litteris delegato committitur, *pag.* 80. Quid, si delegatus legitimationem praetermiserit, *ibid.* Quando legitimatio suum habeat effectum, *ibid.*

Lex. Eius valor quotuplici ex conditione pendeat, *pag.* 5. Lex quandonam odiosa vel favorabilis censenda sit, *pag.* 17. Lex an sit odiosa vel favorabilis si dubitetur, quomodo iudicandum, *ibid.* Lex generalis an abroget priores leges speciales, *pag.* 8. Lex posterior generalis abrogat consuetudinem priorem generalem, licet nullam huius faciat mentionem, *ibid*; secus dicendum de consuetudinibus particularibus locorum, *ibid.* Lex derogatoria consuetudinis " nulla obstante consuetudine „ quid operetur, *pag.* 12. Lex quae ad pristinum ius correctoriam legem reducit an sit stricte interpretanda, *pag.* 9. Lex ut recte applicetur, quid observandum, *pag.* 17. Legibus qui obligentur, *pag.* 18.

Loci angustia an sit causa dispensandi, *pag.* 63. Quae loca censeantur angusta, *ibid.*

## M

Maior Poenitentiarius quoad dispensationes matrimoniales praeditus est facultatibus ordinariis aliisque extraordinariis, *pag.* 45. Facultates ordinariae versantur unice circa impedimenta occulta, *pag.* 68. Dispensat super criminis impedimento, neutro tamen machinante, *pag.* 55. Item super affinitate ex copula illicita praeter quam in linea recta, *ibid.* Item revalidat dispensationes a Dataria subreptas cum reticentia copulae vel intentionis in ea habitae ab oratoribus ut facilius gratiam assequantur, *pag.* 69.

Matrimonium. In dubio standum est pro validitate matrimonii, *pag.* 113; licet agatur de baptismo dubio, *ibid.* Idem dicendum quoad matrimonium infidelis cum haeretico dubie baptizato, *pag.* 120. — Matrimonii revalidatio an et quando sit causa ad dispensandum, *pag.* 65.

Matrimonium Infidelium. Licet vinculum perpetuum sit, non habet tamen indissolubilitatem quae matrimonio fidelium competit, *pag.* 107. Adveniente alterutro coniuge ad fidem, ex divino privilegio dissolvi potest vinculum coniugii initi et consummati in infidelitate, si alter manet in infidelitate, idque in triplici tantum casu contingere potest, *ibid.* Quid, si ab initio coniux infidelis cohabitationi sine contumelia Creatoris consentiat sed lapsu temporis promissis deficiat, *ibid.* Quid, si consensus fuerit renovatus, *pag.* 108. Quid si renovatus non fuerit et ambo conversi in bona fide cohabitaverint, *pag.* 116. Quid, si in conversione alterutrius infidelis consensus renovatus non fuerit, et dein alia pars conversa nolit renovare consensum. *pag.* 117. Quid, si infidelis discesserit non in odium fidei sed alia de causa, puta adulterii, *pag.* 108. An privilegio frui possit fidelis, qui obtenta dispensatione, nuptias cum infideli valide contrahit, *ibid.* Quid, si post initum matrimonium christianum inter ambos fideles, alteruter ad ethnicam superstitionem transeat, *pag.* 109. An infidelis, qui coniugem fidelem sequi noluit quique lapsu temporis convertitur ad fidem, hac divina dispensatione uti possit, *pag.* 110. Quandonam dissolvatur vinculum matrimonii in infidelitate initi, *ibid.* An necessarium sit interpellare coniugem infidelem et quomodo fieri debeat interpellatio. Vide *Interpellatio.* — Infidelium coniunctiones quando dicantur concubinatus, *pag.* 116.

Merita notabilia in Ecclesiam, rationabilem dispensandi causam constituunt, *pag.* 66.

Mixtae religionis impedimentum. Vide *Haeresis.*

Munus delegato sub gravissimis poenis vetitum est accipere occasione dispensationis. Vide *Clausulam, pag.* 77.

## N

Notarius seu Cancellarius Curiae quid pro suo labore in executione dispensationis accipere possit, *pag.* 77.

Nomen. In supplici libello ad Datariam necessario aperiri debent propria oratorum nomina et cognomina, *pag.* 71. An error in nomine invalidet dispensationem, *ibid.*

O

Obreptio vel subreptio quid, *pag.* 22. Quomodo dignoscatur, *pag.* 23. Obreptio et subreptio irritas reddunt dispensationis litteras, *pag.* 50. Dispensatio obtenta super duplici impedimento, si pro uno tantum militat obreptionis seu subreptionis vitium, quando irrita manet ex integro, *ibid.* Ob reticentiam eorum quae de iure exprimenda sunt subreptitia evadit dispensatio, etiamsi non fuerit dolosa, *ibid.* Taciturnitas eorum quae ex stylo romanae Curiae aperienda sunt irritat concessionem, *ibid.* Quid, si ex ignorantia expressum fuerit falsum, aut reticitum verum, *ibid.* Obreptio vel subreptio quando adscribenda sit simplicitati et ignorantiae, *pag.* 23. Obreptio vel subreptio si dubitetur an facta sit per dolum, quomodo iudicandum, *ibid.* Obreptionis vel subreptionis materia debet esse intrinseca negotio, *pag.* 27. Obreptioni et subreptioni aequiparatur *qualitas personae miserabilis*, si contra eam postuletur rescriptum, *pag.* 25.

Officialis Episcopi. Quis veniat sub hoc nomine, *pag.* 94.

Ordinarius. Quinam veniant sub hoc nomine ut valide exequantur Apostolicas litteras, *ibid.*

P

Pacis inducendae vel confirmandae bonum, sufficiens dispensandi causa, *pag.* 65.

Patria. Oratorum patria non est necessario exprimenda in precibus, *pag.* 71; quaenam exceptio, *ibid.*

Paupertas. Qualis requiratur ad obtinendas litteras in forma pauperum, *pag.* 69. Semel antequam istae impetrentur, iterum in eorum executione verificari debet, *pag.* 83. Si falso allegata fuerit, an valida sit concessio, *pag.* 69. Quomodo computetur fortuna nupturientium, *ibid.*

Periculum matrimonii mixti vel civilis an sit sufficiens causa ad dispensandum, *pag.* 66.

Perinde valere quid significet, *pag.* 46.

Poenitentia. Pro dispensandis in foro externo. Vide *Clausulas*, *pag.* 81. Pro dispensandis autem in foro conscientiae, qualis imponenda sit, *pag.* 89.

Poenitentiariae tribunal quibus ab impedimentis dispenset, *pag.* 45 et 67. An et quando ad ipsam recurri potest pro casibus qui ad Datariam pertinerent, et quae tunc requirantur conditiones, *pag.* 68. Dispensationes gratis concedit, *pag.* 69. Ad eam recurri debet, quando dispensatio pro foro externo concessa est a Sede Apostolica, *ibid.*

Pontifex. Potestas statuendi et relaxandi impedimenta ei vel Oecumenico Concilio, ceteris exclusis, competit, *pag.* 45. An et quando dispensare valeat in impedimentis quae a iure divino vel naturali proveniunt, *ibid.* Ipse iure proprio dispensat in quovis impedimento impediente, *pag.* 46. In dispensationibus concedendis utitur Sacris Romanis Congregationibus et qualibus, *ibid.*

Praecepta cuipiam indicta an adhaereant personae, *pag.* 20.
Praelati iurisdictionem quasi episcopalem habentes, an dispensare possint in impedimentis matrimonialibus, *pag.* 46.
Praxis conficiendi supplices libellos pro dispensationibus, *pag.* 68. — Praxis eas exequendi. Vide *Delegatio. Delegatus. Clausulae. Executio.*
Preces. Vide *Supplicatio. Verificatio.*
Privilegii notio et divisio, *pag.* 37. Privilegiorum verba si ambigua, quomodo interpretanda, *pag.* 41. Privilegia quot modis adquirantur, *pag.* 38; quomodo communicatione comparentur, *ibid.*; quibus modis privilegiorum communicatio fieri possit, *ibid.*; quaenam communicentur formula generalibus verbis concepta, *ibid.*; quaenam formula absolutam paritatem indicante, *ibid.*; quaenam cum limitatione, *ibid.* — Privilegiorum confirmatio. Vide *Confirmatio.* — Privilegiorum clausulae, *pag.* 39. Privilegia concessa *motu proprio* quaenam sint et quae ad instantiam, *pag.* 37. Privilegia clausa in corpore iuris quaenam sint, *pag.* 38. Privilegia gratuita quae sint, *pag.* 37. Privilegia personalia quaenam sint et quae realia, *ibid.* Privilegia remuneratoria quaenam censenda, *pag.* 37; an late interpretanda, *pag.* 41. Privilegia onerosa strictae interpretationis sunt, *ibid.* Privilegia quibus modis extinguuntur, *ibid.* Privilegiorum revocatio an et quomodo fieri possit, *ibid.* Privilegia onerosa quomodo abolenda, *pag.* 45. Privilegia per communicationem adquisita an cessent, si cessaverint apud eos, quibus primum concessa sunt, *pag.* 43. Privilegia concessa non subdito revocari nequeunt sine eius consensu, *pag.* 42. Privilegia ab Imperatoribus concessa Ecclesiae sine eius consensu revocari nequeunt, *ibid.* Privilegia quae finiuntur non usu vel usu contrario, *ibid.*; quid requiratur, *ibid.* Privilegiorum tacita revocatio quaenam abolet, *ibid.* Privilegium extendi nequit de casu ad casum aut de persona ad personam. Quomodo id intelligendum, *pag.* 41. Privilegiatus contra privilegiatum privilegio non utitur, *pag.* 43.
Privilegium Paulinum quid sit, *pag.* 107. An extendatur ad haereticos dubie baptizatos, *pag.* 120. Vide *Matrimonium infidelium.*
Processus in causa dispensationis matrimonii rati et non consummati, *pag.* 123. Quaenam servanda sint, *ibid.* Processus in causa interpellationis faciendae coniugi infideli, *pag.* 109.

## Q

Qualitates oratorum an et quando exprimendae in supplici libello, *pag.* 71.

## R

Raptus aperiendus in supplici libello pro quovis impedimento, etsi mulier loco tuto fuerit restituta, *pag.* 73. Vid *Clausulae.*
Reiectio precum quid sit, *pag.* 25. Obreptioni et subreptioni acquiparatur, *ibid.*
Renuntiatio dispensationis. Vide *Contrahentes.*
Res quandonam desinat esse integra, *pag.* 34.
Rescriptum quid et quotuplex, *pag.* 21; quaenam rescripta gratiae et quaenam iustitiae, *ibid.* Rescripto quid essentiale sit, *ibid.* Rescriptum in quo differat

a vivae vocis oraculo, *ibid.* Rescripta an sint strictae interpretationis, *pag.* 36. Rescriptorum verba hortatoria an sint praeceptiva, *ibid.* Rescriptum impetrare potest qui expresse a iure non prohibetur, *pag.* 24 Rescriptum impetratum contra consuetudinem vel statutum loci particularis non valet, nisi fiat huius mentio, *pag.* 26. Rescripta an suum effectum sortiantur a die datae vel praesentatae, *pag.* 35. Rescriptum in forma commissaria quid importet, *pag.* 30-31. Rescripti causa finalis quaenam sit, *pag.* 25. An si unica sit censeatur motiva, *ibid.* Quid si plures allegentur causae, *ibid.* In dubio quid iuris, *ibid.* Rescriptum obreptitium vel subreptitium quid *pag.* 22. Rescriptorum obreptio vel subreptio quomodo committatur, *ibid.* Rescriptum subreptitium an ipso iure sit nullum vel ope exceptionis, *pag.* 23. Rescriptum quodlibet vitiatur per obreptionem et subreptionem dolosam, *pag.* 23. Rescripta an vitientur per subreptionem quae contingit circa causam non motivam, *ibid.* Quid si plures allegentur causae motivae et una earum sit falsa, *pag.* 25. Rescriptum aliud contrarium aut diversum, eadem in re prius ab adversario obtentum, obreptioni aequiparatur, *ibid*; quaenam exceptio, *ibid.* Rescripta quando revocari in dubium debeant, *pag.* 35. Rescriptum an revocetur in dubium per litem subsequentem, *ibid.* Rescripti falsitas quibus indiciis dignoscatur, *pag.* 27. Rescripti falsitas an arguatur siquid durum in ipso iniungitur, *pag.* 28. Rescriptum an et quando vitietur per rasuram, *pag.* 27. Rescriptum quandonam vitiat error latinitatis, *pag.* 27-28. Rescriptum vitiat praetermissio iuris tertii in ipsum quaesitum, *pag.* 26. Rescriptum vitiatur, nisi exponatur conditio quaelibet fundationi beneficii apposita quae petenti adversetur; *ibid.*: quaenam exceptio, *ibid.* Rescriptum vitiat defectus consuetae formae, *pag.* 27. Rescriptum extortum quandonam dicatur, *pag.* 22. Rescripta quando exhibenda Ordinario loci, *pag.* 30. Rescripta intra quod tempus praesentari executoribus debeant, *pag.* 34. — Rescriptum an praesumendum sit gratiae vel iustitiae in dubio, *pag.* 36. Rescripta gratiae non expirant morte concedentis, etiam re integra, quando continent gratiam factam: secus, si contineant gratiam faciendam, *pag.* 35. Rescriptum gratiae concessum cum clausula " usque ad beneplacitum Sedis Apostolicae „ durat perpetuo donec revocetur, *pag.* 36. Rescriptum gratiae concessum cum clausula " usque ad nostrum beneplacitum „ expirat morte concedentis, *ibid.* Rescripta gratiae ad beneficia ecclesiastica stricte sunt interpretanda, *pag.* 36. Rescripta iustitiae an extinguantur morte eius cui concessa sunt, *ibid.* Rescripta iustitiae an morte concedentis expirent *ibid.* Rescriptum secundum iustitiae absque mentione prioris impetratum, est nullum ope exceptionis, *pag.* 26. Rescripta iustitiae si plura sint, quodnam praeferendum, *pag.* 26. Rescriptum iustitiae an quis impetrare possit pro alio absque eius speciali mandato, *pag.* 24. Quid de stylo moderno Curiae Romanae dicendum, *ibid.* Rescripta iustitiae et rescripta gratiae an sint perpetua, *pag.* 34. Rescripti vis an et quando ad haeredes transit, *pag.* 36. Rescripto renuntiare an quis possit, *ibid.*

Revalidatio matrimonii an et quando sit causa dispensationis, *pag.* 65.

Revocatio. Auctoritas dispensandi impertita a Pontifice Romano revocatione cessat, *pag.* 99. Quoties autem mandatum ad dispensandum procedit a Summo Poenitentiario vel ab alio qui Apostolico indulto praeditus sit, absque legitima causa revocari nequit, *ibid.* Revocatio Decreti. Vide *Decretum.*

Romanus Pontifex potestatem habet interpretandi legem divinam, *pag.* 9.

## S

Sanatio in radice. Vide *Dispensatio.*

Scandalum. Evitatio scandali an sit legitima causa dispensandi, *pag.* 66.

Separatio. Vide *Clausulas, pag.* 81.

Solemnitates nuptiarum. Vide *Tempus sacratum.*

Sponsalia. Impedimentum sponsalium dispensari nequit nisi a Romano Pontifice, *pag.* 56. Quaenam causae, *ibid.* Quaenam conditiones, *pag.* 57.

Status liber. Modus probandi statum liberum. Vide *Iuramentum suppletorium.*

Subdelegatio. An executor ad dispensandum subdelegare possit quae spectant ad nudum ministerium, *pag.* 76. An informationes sumere, *ibid.* An delegatus apostolico indulto subdelegare possit, *pag.* 51. An Episcopi subdelegare possint auctoritatem dispensandi in casibus urgentissimae necessitatis, *pag.* 48.

Subditus quomodo quis fiat, *pag.* 19. Subditus an obligetur lege extra territorium, *ibid.*

Subreptio. Vide *Obreptio.*

Supplex libellus. Matrimonii dispensationes nemini conceduntur qui supplices preces non exhibuerit, *pag.* 71. Ad validitatem concessionis necesse est exprimere quae de iure aut stylo Curiae aperienda sunt, *ibid.* Quid exprimendum cum dispensatio petitur a Dataria, *pag.* 70. Quomodo proponendae causae, *ibid.* Si impedimentum occultum cum publico confluat, quomodo oratores se gerere debeant, *pag.* 68. Quando in supplicatione pro secunda dispensatione mentio primae fieri debeat, *pag.* 73. Quid in specie exponendum in singulis impedimentis, *pag.* 71. Quomodo exaranda supplicatio cum dispensatio petitur a sacra Poenitentiaria, *pag.* 68. Quaenam forma exarandi libellum supplicem, *pag.* 70.

## T

Taciturnitas beneficii ecclesiastici praehabiti, an vitiet rescriptum ad novum beneficium obtinendum, *pag.* 26.

Taxae an persolvantur in sacra Poenitentiaria, *pag.* 69. An in Congregatione Prop. Fidei, *pag.* 77. An Episcopi eas exigere possint, *ibid.*

Tempus sacratum. An concedatur dispensatio super vetito solemnitatum nuptialium, *pag.* 62. An super vetito benedictionis solemnis, *ibid.*

Tridentini lex de impedimento clandestinitatis an admittat epikeiam, *pag.* 9. An qui e loco ubi viget transmigrat in locum ubi publicata non est, valide matrimonium contrahat, *pag.* 19.

## V

Verba legis ita sunt intelligenda, ut res de qua agitur potius valeat quam pereat, *pag.* 25. Verba sunt intelligenda secundum propriam significationem

nisi aliud suadeat materia, *pag.* 15. Verba legis generalia an ad omnes species extendantur, *ibid.*; quaenam exceptio, *ibid.* Verborum proprietas duplex naturalis et civilis, *ibid.* Verborum proprietas civilis quando naturali praevalere debeat, *ibid.*

Verificatio precum an instituenda sit et an eius omissio nullitatem importet dispensationis, *pag.* 78.

Vicarius Apostolicus. Vide *Indultum.*

Vicarius Capitularis sede vacante an succedat Episcopo quoad facultatem dispensandi, *pag.* 48. An pro executione dispensationis commissa Episcopo, Ordinario, vel Vicario Generali, *pag.* 94.

Vicarius Generalis. Quinam veniat hoc nomine in dispensationum litteris, *pag.* 94. An exequi possit litteras Episcopo commissas, *ibid.*

Vota simplicia matrimonium impediunt, *pag.* 57. Quae excipiuntur, *ibid.* Quinam dispensare possit, *ibid.* Si nuncupentur sub conditione, ea verificata, an evadant reservata, *pag.* 58. Utrum Episcopi in casibus reservatis ea dispensare possint, *ibid.* Quaenam sunt causae pro dispensatione in votis simplicibus, *pag.* 59. Ad quos effectus extendatur haec dispensatio, *ibid.*

Votum Ordini sacro adnexum a quo et quas ob causas dispensetur, *pag.* 56.

Votum solemne quis et quas ob causas dispensare possit. *ibid.*

IMPRIMATUR:

Fr. F. Pierotti O. P. — S. P. A. *Magister.*

15504